



20

00

Wien

ABMH

1384.




J. S.



H. H. .









REBECCA  
COMOEDIA  
NOVA ET SACRA, EX  
XXIII. CAPITULE GENESEOS, AD  
Plauti & Terentij imitationem scripta: & ad  
nuptias ILLVSTRISS. Principis ac Domi-  
ni, Domini LVDOVICI, Ducis VVirtem-  
bergici ac Teccij: Comitum Montis  
Peligardi, &c. adornata

A  
NICODEMO FRISCHLINO, ACA-  
demie Tubingensis Professore publico, &c.  
*Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.*



TUBINGÆ,  
Excudebat Alexander Hockius, Anno Domini  
M. D. LXXVIII.



AD IMAGINEM  
CLARISSIMI VIRI D.  
NICODEMI FRISCHLINI CO-  
mitis Palatini, & Poëta L. Cesarei: &c.  
Epigramma Ioannis Posthii,  
M. & P. L.



Quam rosa, quã violæ, quam laurea ferta coronant,  
Hac mihi Frischlinum picta tabella refert.  
Quẽ schola multa canit, quẽ plena theatra loquuntur.  
Quem Comitum iactat Cesaris aula suum.  
Hos quoq; tempus erit cum vino è marmore vultus,  
Spectabit medio clara Tubinga foro.



V. CLARISS. IOANNI  
FICHARDO V. I. D. ET REIP.  
Francofurtensis Aduocato prima-  
rio, &c. Dn. suo colendo. S.

**M**Anibus Albini, vir prestantissime, no-  
stri

Exequias versu non remorante paro.  
Sed quia me grauium complura negotia re-  
rum

Impediunt: veniam docte Ficharde da-  
bis.

Nam meus herois desudat versibus ardor,  
Quis thalami festum connubiale cano.  
Aptior est Elegis alio mens tempore maestis:  
Nubila cum nostrae tempora frontis e-  
runt.

Interea Latiam rursus tibi mitto Rebeccam,  
Cui nunc imposita est ultima forte manq.  
Sinon & Critici lima polietur inepta:  
Aut lima docti commodiore viri.

Hanc lege, dein lectam praelo committe Vae-  
cheli:

Dispeream, si non proderit iste labor.  
Rem paruo faciet, te consultore libello.  
Quem tota expectat Suenia nostra diu.

A 2 Prin-



Principibus placuit, bis lusa, Rebecca: suoq;  
Bis plausu valuit: nunc uti lusa fuit,  
Ante etiam doctis placuit, nec displicet isdē,  
Quo nunc est iterum condita & acta mo-  
do.

Vive, vale grauium laus summa Ficharde  
virorum,

Atq; hoc ex ipso tempore carmen habe.

Tubingæ prid. Non. Iunij 76.

T. Excell. ad nutum paratus,

Nicodemus Frischlinus.

ARISTOPHANES IN EQVITIBVS.

Κωμωδοδιδασκαλία ἐσὶ χαλεπώτατον  
ἔργον ἀπάντων.

HORATIVS LIB. II. EPIST. II.

Creditur ex medio, quia res arcessit habere  
Sudoris nimium: sed habet Comædia tantò  
Plus oneris: quantò veniæ minus.

IMP.



IMP. CAESARIS  
MAXIMILIANO II.  
AVGVSTO, GERMANICO:

P. P. pio, Felici.



Arbiter imperij Maxamiliane  
Quiritum:

O rex non ipso, quem regis,  
orbe minor:

Temea Musa rogat, socco deuincta Latino,  
Supplicis ut miti pectore verba legas:  
Et quo Germanū vultu nunc respicis orbem:  
Hoc pia respicias virginis ora mea.  
Virginis Assyrio ad Nicrum de limite ductæ:  
Esset ut Almanni casta marita Ducis.  
Hæc tibi cur potiq̃ mea Musa sit ausa sacrare:  
Propositi causam, si vacat, huius habe:  
Ne laxo videar temerarius ore poëta,  
Septa pudicitia transilysse mea.  
Audax est fateor, qui dat tibi carmina, va-  
Nec maiestatis pertimet ora tuæ (tes:  
Nec plenos sacra gravitate veretur ocellos:  
Cesareung, thronū non dubitanter adit.  
Sed facit hoc animi clementia, Cesare digna:  
Ut carmen dextra non trepidante feram,

A 3 Tanta



Tanta tibi est pietas, qua nostrum amplectere  
cœtum:

Pieria quotquot pergimus ire via.  
Nam quia laude geris multas res undiq; di-  
Precones etiam cōuenienter amas. (gnas:  
Qualiter Augustus: Romana primus in vrbe,  
Arbitrio cuius subdita terra fuit:  
Carmina grandiloqui posuit in honore Ma-  
Imperijq; decus censuit esse sui. (ronis:  
Qualis Alexander: gratus cui Cherilus ille:  
Cherilus ingenio, Cherilus ore rudis.  
Quo tamē es longē melior ductore: quod acrē  
Nestora Therpsitæ præposuisse potes.  
Nec miserē ignoras, quid distent æra lupinis,  
Et quantū Tyria sidone, Graia chlamys.  
Nam tibi iudicium de vatibus esse Latinis:  
Arguit ingenij norma benigna tui.  
Arguit & laurus toties concessa Poëtis:  
Et non postrema nobilitatis honor.  
Comica nunc etiam (nostro quæ rarior æuo)  
Subditur arbitrio Musa iocosa tuo.  
Quam si iudicii candor tuus ille probârit:  
Crescendi vestra copia fiet ope.  
Pluribus hæc nuper placuit Comædia doctis,  
Et prima claris nobilitate viris.

Nam



DEDICATORIA.

7

Nā quando primūm scenæ spectacula vidit:  
Principe natalem concelebante meo:  
Affuit Iلسinga de stirpe insignis Achilles:  
Iuridica summus nobilitatis honor.  
Quē tua maiestas tunc has legarat in oras:  
Imperii ut caperet iussa seuera tui.  
Huic mea tū placuit scenis agitata Rebecca:  
Amplexus vinclo quam propiore fuit.  
Seq̄ eius memorem fore grata voce recepit:  
Cum saluus patriā rursūm adisset humū.  
At neq̄ Luduico mea, Dorotheaq̄, Rebecca  
Displicet: ille Isacus, illa Rebecca mihi.  
Hūc Isacū commendo tibi, commēdo Rebeccā:  
Quamuis ambo nihil carminis huiq̄ egēt:  
Quos sua commendat virtus, pietasq̄, fidesq̄,  
Et non fucata simplicitatis amor.  
Tu pater Abrahamo nostros defende penates:  
Sisq̄ Rebecca huius cū pietate memor.  
Sic toto vincas hostes super orbe rebelles:  
Sic eat ante tuas Turcia capta rotas.

Serenissimæ maiestatis Tuæ  
Cæsareæ humilimus cliens

Nicodemus Frischlinus in Academia  
Tubingensi poëtica Professor.

DRAMA.



DRAMATIS PERSONÆ.

Abrahamus	Senex.
Eleasarus	Dispensator.
Ismaël	Senior filius.
Chamius	Venator.
Syrus	Seruus.
Labrax	Rusticus.
Isacus	Junior filius.
Rebecca	Virgo.
Cario	Seruus.
Laban	Iuuenis.
Gastrodes	Parasitus Ismaëlis.
Bathuël	Senex.
Mulier	Vxor Bathuëlis.

PERIOCHA COMOEDIÆ.

Senex Abrahamus metuens filio Isaco,  
Ne Chananeis inuolueretur nuptijs,  
Seruum atriensem domus suæ Eleasarum,  
Iuramento obstrictum, mittit procul à Chana,  
In Mesopotamiam: vt petat vxorem filio  
De familia & cognatione Bathuël,  
Ismaël interim, operam dat venatui.  
Et plagis mulctat agricolas patris Abrahæ.  
Eleasarus profectus Charras peruenit

Ad



## PERIOCHA

Ad urbis pu teum: vbi reperit miro Dei  
Ductu, ex improviso, quæsitam virginem  
Rebeccam, Bathuëlis huius filiam.  
Domum deductus à Laban, exorat patrem  
Bathuëlem, vt illam vxorem spondeat Isaco.  
His properè confectis rebus, cum virgine  
Rebecca Eleasarus seruus domum redit,  
Eamq; fortè occurrenti sibi in via  
Hero suo præter spem tradit Isaco.

## PROLOGVS.



**P**RINCIPIO vos saluto, qui hic estis  
boni

Nam pro bonis meritò omnes vos ag-  
noscimus:

Nec quenquam adesse iudicamus hic malum

Aut si adsint nonnulli mali atq; maleuoli,

Eos rogatos volumus vt se meminere

Nec metui à nobis, nec magni estimarier:

Cùm odij sui causam hic nullam prorsus habeant.

Mibi quidem inuideat, qui volet, & quam diu

volet. Haud enim cuiusquam causa maleuoli

(Ne forsàn erretis) ego disrumpar hodie.

Sed, vt dixi, vos qui venistis huc boni

Iam primum à principio, viros vt bonos,

Saluos & incolumes omnes esse volumus:

A 7

Nam



Nam vestra freti beneuolentia & fide  
 Nihili improborum facimus contumelias.  
 Quodenim nonnulli dictitant, rem esse facilem  
 Et expeditam, Drama scribere Comicum:  
 His hoc responsum damus, olim quod maleuolis  
 Suis dedit Terentius: in medio omnibus  
 Palmam esse positam, qui artem tractant Musicam  
 Quod si quis nobiscum in re simili fecerit  
 Periculum, cum subinde nouis nos fabulis  
 In Musicum hoc certamen prouocabimus:  
 Nam hac tempestate flos poetarum viget.  
 Et si illos etiam vos Poetarum loco  
 Numerari vultis, qui in triuijs Carmina  
 Nullo labore facta, disperdere solent:  
 Sanè Poetarum hodie quaedam lerna erit:  
 Qui vel ducentos versus, aut etiam amplius,  
 In vno pede stantes conficient: vt vetus  
 Ille & lutulentus iactabat Lucilius:  
 Sed his neglectis, aliò nunc me conferam,  
 Ac primo vobis nomen huius eloquar  
 Comœdiæ: vt sic argumentum facilius  
 Quod sit futurum, intelligatis fabulæ.  
 Deinde paucis, quid veniam, & quid vos velim,  
 Ostendam: vt æquanimittatem vestram impetrem,  
 Vos, si aures vacuæ sunt hûc animaduertite.  
 REBECCA nomen est huic Comœdiæ:  
 Nam in ea Rebecca Bathuelis filia,  
Quato Abraha nuptum locatur Isaco:



PROLOGVS.

II

Opera & fide atriensis serui Eleasari:  
 Qui missus in Mesopotamiam procul à sene,  
 Eam herili filio secum adfert coniugem.  
 Sed quia pater omnia tradidit Isaco:  
 Iratus Ismaël tumultus excitat:  
 Et agricolas premit venationibus.  
 Is ad fratrem hodie non veniet, neq; ad patrem:  
 Poëta noster noluit: nec Bathüel  
 Hüc in Chanan veniet: neq; eius familia,  
 Præter Rebeccam, quia loci isti sunt nimis  
 Remoti: Quod vos scire primum volumus:  
 Ne quis miretur, cur nulla Abrahæ, aut Isaco  
 Cum Bathuele sint colloquia. nam tribus  
 Locis peragetur hoc totum negotium.  
 Senex hic Abrahamus est: hic Isacus:  
 In illiscè vna qui cum patre habitat ædibus.  
 Hec sylua est Pharan, vbi venatur Ismaël:  
 Hec ciuitas Charræ Mesopotamiae erit,  
 In quibus habitat pater Rebecca Bathuel.  
 Anni quidem elapsi sunt ab eo tempore,  
 Quo nuptias istas celebrauit Isacus,  
 Ter mille quadringenti, quinquaginta nouem:  
 Annis puta ante Christum è virgine editum  
 Mille octingentis, octuaginta quatuor.  
 At nos eas hodie iterum celebrabimus  
 In hoc proscenio, siquidem per vos licet,  
 Et vos vestro fauere nos iuuabitis.  
 Nunc ne argumentum à me expectetis fabula,

Puer



Puer qui primus huc veniet, totum aperiet,  
 Remq; omnem in verba conferet paucissima.  
 Vos verò maximo vnum hoc oramus opere,  
 Benignè vt operam detis ad nostrum gregem.  
Curas & æs alienum, quod vestra inopia,  
Et diuitum auaritia conflastis, paululum animis  
Eijcite: nemo flagitatorem suum  
Formidet. Nam qui exegerit hic pecunias,  
 Eum Ismael malè mulctabit venabulo.  
 Poëta noster hanc potestatem ei dedit.  
 Quando alia agetur, sceptrum amittet denuò,  
 Et fortè, qui nunc Ismael est, tunc Syrus erit,  
 Aut rusticus, aut mendicus, aut lorarius,  
 Aut quicquid deniq; eum Poëta fecerit.  
 Quod reliquū est: iam nunc operam date et aduortite:  
Nobisq; adeste æquo animo per silentium.

## ACTVS I. SCENA I.

ABRAHAMVS. ELEASARVS.

Senarij.



OS ceteri rus hinc abite, Eleasare  
 Adestum: paucis te volo. EL. Dictum  
 puta:  
 Nempe vt curentur rectè hæc. AB. Imò  
 aliud. EL. quid est,  
 Quod tibi mea ars efficere hoc possit amplius?

Nihil



Nihil istac opus est arte, ad hanc rem, quam paro: AB.

Sed his, quas semper in te intellexi sitas,

Fide & sedulitate. EL. expecto quid nam velis.

Ego, postquam Sara fato defuncta est, memor AB.

Humane fragilitatis, & æui lubrici.

Paucos ante dies, vt nosti, rem familiæ

Constitui: vt lites inter liberos meos

Cauerem: cum sciam plerunq; maximas

Soleri hodie similtates existere

Et fratrum gratiam, haud raro, ob patrimonium

Dirimi. EL. Ita est. AB. Hoc malum vt, antequam

moriar, domi

Præuenterem: modo testamentum condidi.

Nam bona, quæ possedi, legavi vni Isaco

Omnia: nempe agros, vineas, prædia, domos,

Pecudumq; greges, & ancillas, & seruuolos:

Quando quidem ad hunc solum promissio pertinet

De fatali possessione Chanaæ. AB.

Reliquis verò, quos DOMINVS à terræ istius

Hereditate exclusit: neq; latum pedem

Tenere hic voluit: auri solum munera,

Et argenti, vt nosti, dedi donaria.

Scio factum, & non parum hinc odij natum tibi. EL.

Nam Isaco postponi ægerrimè tulit Ismael.

Nihil hunc moror, nec quicquam eius odia. nam Dei AB.

Amor est omnium hominum præponendus odio.

Ita est, AB. Sed sine me peruenire, quò volo, EL.

Nam benè cum istuc successerit negotium:

Vnus



Vnus adhuc restat scrupulus, qui me malè

Habet, dies noctesq; pungit, ac nimis

Malè vellat: eumq; animo euellere iamdiu

Laboro. EL. Quis nam ille est, here, scrupulus, cedo?

AB. Id audies. Nam ad eum eximendum tua opera

Mihi ac fide vsus est. Itaq; te maximè

Rogo, vt in ea re mihi morem geras. EL. Tuum

Here Abraha, in me imperium est: non in te mihi.

Proin paratus sum exequi, quicquid iubes.

AB. Nunquam te aliter, atq; es, animum induxi meum.

EL. Quin ergò, quicquid est, id imperas, here?

AB. Haud magna res est, quam te facere nunc velim.

EL. Eò minus molesta, aut grauis erit mihi.

Sed quæ nam est? AB. Rem omnem nunc à principio

Eo pacto & meum consilium facilius (audies

Cognosces, & quid facere in hac re te velim

Melius intelliges. EL. Ausculto perlubens.

AB. Postquam Isacus ex phebibus excessit meus:

Et etatem virilem iam dudum attigit:

Nunc rebus, vt volui, compositis omnibus,

Hoc superest vnum: vt de vxore illi commoda

Prospiciam, dum viuo: ne olim me mortuo,

Retia tendantur ei per matrimonium,

Vt nunc mos hominũ est maximè. EL. Sic est. AB. Nam

Quorundam perfidia nunc est, vt, quos student (ca

Perdere, nec iustam habent causam: illos nuptijs

Inuitent, illaqueent, irretiant: dein

Tanquam in cauea quadam præclusas auiculas,

Iugulent, macient, trucident infando modo:

Quod



Quod nuper admodum à Galilæis aliquibus  
 Hic factitatum vidimus: quos neq; fides,  
 Neq; ius commune gentium repressit, neq;  
 Reflexit, ut immane hoc non auderent scelus.  
 Equidem vera memoras: nam fama huius rei **EL.**  
 Nunc per totum terrarum orbem percrebuit.  
 Hoc vii periculum caueam, nunc tempus est, **AB.**  
 Dum viuo: modò tu morigerum te præbeas.  
 Quin tu vno verbo dic: quid est, quod me velis: **EL.**  
 Ita faciam. Hoc primum in hac re prædico tibi: **AB.**  
 Quòd grandes hominum factiones non moror:  
 Cuiusmodi sunt harum in Chanaa gentium.  
 At, queso, affinitates iste non placent, **EL.**  
 Quas Chananæi tibi sponte sua destinant?  
 Minimè. **EL.** Nec Ephronis Hettæi, qui te suum, **AB.**  
 Ut scis, dominum vocat, sibiq; gratiam  
 Tuam dono nuper conciliare studuit?  
 Nihil hunc moror, neq; quicquam eius donaria. **AB.**  
 At neq; Abimelechum & Phicholem, tibi foedere **EL.**  
 Et summa amicitia obstrictos: summos viros?  
 Quorum nemo est, qui filiam suam tuo  
 Vxorem deneget gnato. Ita sensi tibi  
 Hos omnes beneuolos. **AB.** Imò hæc dudam mihi  
 Illorum subolet beneuolentia: ac nimis  
 Metuo ne filio tendantur retia. **EL.**  
 Cur hoc metuis. **AB.** Quia nuptias istas ego  
 Malo effugere, quam alij fors an adipiscier.  
 Quamobrè obsecro? **AB.** Quia nō possum cū his ho- **EL.**  
 affinitatem colere. **EL.** Quæ res te vetat? (minibus  
 Quis



AB. Quia noui ego mores huius seculi malos.  
 Nam hodie in vxore ducenda, non, qua fide  
 Aut religione, sed quibus pecunijs  
 Instructi sint homines, spectariet solet.

EL. Non satis intelligo, quò tendas. AB. Non? EL. Non  
 satis,

AB. Nempe ergo apertius vis me loqui? EL. Ita volo.

AB. Primùm, Chananeos nosti homines esse impios,  
 Et cultores imaginum stultissimos.

EL. Noui. AB. Et multos habere Deos. EL. Ne plurimos.

AB. Nec spem vllam ponere in promisso semine?

EL. Nullam prorsus. AB. Nec circumcisos? EL. Neutiquam.

AB. Neq; fœderis memores, quod mecum iniit Deus?

EL. Noui isthæc, herè, quæ dicis, & vt dicis, animum  
 Induco: & te hoc mihi cupio credere. AB. Quomodo.  
 Igitur cum gente, exitio deuota à Deo,  
 Affinitatem contraham, aut sobolem meam  
 Permisceam: nisi Religionem quoq;  
 Et diuinum cultum abijciam, profanaq;  
 Sacris, & cœlum terræ confundam? EL. An fore id  
 Credis? AB. Cur non credam? EL. Quia is nihilo  
 minus

In mente sua, patriam religionem, & fidem  
 Potest habere sartam testam & integram:  
 Etiam si Chananeam nactus sit coniugem.  
 Imò futurum spero, vt hoc connubio  
 Animum soceri lucretur atq; coniugis.

istuc



FRISCHLINI.

17

Istuc in filio fieri periculum

AB.

Graue est. EL. Quid ita? AB. Quia enim heredem  
ipsum habeo vnicum,

Ad quem promissio DEI de SEMINE

Illo venturo, & terre istius hereditas

Pertinet: omnibus hic prospiciendum mihi modis,

In cultu vt religionis maneat firmiter:

Nec vsquam à pietatis declinet semita,

Aut improborum perdatur consortio.

Solent enim bonos etiam mores malæ

Contaminare haud rarò consuetudines.

Tum imprimis, si quis vxorem nactus siet

Superstitiosam, illiberalem, incommodam,

Superbam, petulantem, prophanam & impiam:

Magnum imminere solet, non tantum domini,

(Cuius iactura leuior: siue vxor regat

Virum, siue vir vxorem: modò domestica

Res curetur benè) sed fidei periculum:

Cuius qui semel in vita naufragium fecerit,

Is nunquam post facile pietatis anchoram

Apprehendet: neq; in portum optatissimæ

Vite appellet. EL. Miserum me, qui hæc nunquam

hactenus

Ita expendi. Sed perge, vt cepisti, loqui.

Nunc, quantum in hac re mulierum præpolleat

AA.

Astutia, vt à religione abducant viros

Quanta Satanae fraus sit: quanta harum gentium,

B

Quas



Quas inter ætatum nunc ago, versutia:  
Etiam exempla prioris vitæ me commonent.

EL. Quenam obsecro? AB. Audies, ausculta. EL. Operam hanc tibi

Dico. AB. filium meum maiorem, qui hic habet  
In Pharan, Ismaëlem nostim? EL. Optime

AB. Et matrem eius Agar? Quidni? AB. Et eius coniugem  
Ægyptiam, à matre ipsi desponsam? EL. probe.

AB. Quid? Lothum filium fratris mei Charan?

EL. Tanquam te. AB, Nunc audi, quid ambobus mali  
Ex matrimonio, & mulierum fraudibus

Evenerit. EL: Dic, obsecro. AB. Ismael technis

Ægyptiæ suæ à religione & fide  
Patrum suorum tam longè recessit, ut

Circumcisi præputij parum memor

Et fœderis, quod mecum iniit iam olim Deus,

Promissionumq; irrisor nequissimus,

Osirim & Isidem honore honoret maximo,

Deos Ægyptios: tum præsertim Isidem,

Quam aliæ gentes Dianam nominant, colit

Impendio, quod hæc Dea creditur feris,

Et venatoribus præesse, quasi aliquod

Numen. EL. Profectò res apparet: nam Isidem

Plus iusto ab illo honorari, ostendunt feræ,

Quæ nimium studet: & agrestium querimonia,

Quas passim diuulgant de ipsius iniurijs,

Et sermè quotidie novas huc perferunt.

Quòd



Quòd si hoc idem periculum alteri meo  
 Contingat Isaco, nolim in lucem editum,  
 Istud Deus prohibeat. AB. Sic spero fore.  
 Sed fratris filium, quid ego dicam tibi?  
 Quem filio vino madefactum, proh pudor,  
 Ad incestam impulere consuetudinem.  
 Noui factum. Et profecto illius me pudet. EL.  
 Quid ipsum Adamum, primæuum patrem omnium, AB.  
 Qui Euz blanditijs illectus, malum sibi  
 Vetitum malè gustauit: mandatoq; DOMINI  
 Temerè admodum neglecto cum uxori fidem  
 Haberet, cum omni posteritate in miseriam  
 Et hanc lachrymarum Vallem, adeoq; in luridi  
 Barathri æternam præcipitauit voraginem.  
 Adeò potens res est, muliebris in viro  
 Seducendo fallacia: præsertim in fide  
 Erga Deum, & religionis negotio, BL.  
 Istuc sapere est, res iam olim præteritas sibi  
 Pro disciplina & præceptis habere: & hinc  
 Casus futuros longè prospicere, & velut  
 Ab excelsa quadam specula, periculum  
 Venturum prouidere. AB. Tu ergo Eleasare  
 Serua, quod in te est, filium, & me & familiam:  
 Ne fortè talibus se inuoluat nuptijs.  
 Nam ego haud quenquam fideliorem habeo, neq;  
 Cui plus credam, nec qui magis ex sententia

B ij

Mihî



Mihi sit: neq; adeo cui meum concreduim  
 Filum hodie, quam tibi, Eleasare, audacius.

EL. Here mi, ego hoc tibi pro seruitio debeo  
 Conari manibus, pedibus, noctesq; & dies  
 Capitis periculum adire, dum prosim tibi,  
 Tuoq; gnato, atq; adeo toti familiae.  
 Proin impera, quod vis, effectum tibi dabo.

AB. Amo te, & merito te semper feci maximi:  
 Neq; vnquam veritus sum abs te, ne faceres idem,  
 Quod vulgus seruorum solet, vt deluderet  
 Me consutis dolis. EL. Egon istuc in animum  
 Inducere? id me magnus prohibeat DEVS:  
 Nam vt adhuc locorum feci, faciam sedulo:  
 Vt maxime, quod in rem conducatur tuam,  
 Id agam, id persequar animo, corde atq; viribus

AB. Da mihi manum tuam, optime. EL. Non manu modo,  
 Sed omnem operam, fidem, ipsum quoq; animum meum:  
 Qui qualis in te sit, notum tibi arbitror.

AB. Eleasare, Ego non tribuo hoc auribus tuis:  
 Noui: qui vir sies, & quam paucos tui  
 Similes habeas. Nam hodie, qui in aulis Principum  
 Versantur, & consilia rei dant publicae  
 Multi non domini, sed sua commoda promouent:  
 Quippe, quibus nil praeter pretium dulce est.  
 Tu vero omnia tua posthabes meis commodis:  
 Neq; vnquam vlla in re tua mihi defuit fides.  
 Nam saepe ego res multas commendaui tibi

Dubias



Dubias, egenas, inopes consilij boni:  
 Quas tu sapienter, doctè, candidè, ac benè  
 Mihi reddidisti effectas hic opera tua.  
 Tum filium meum, fidei, fiducia  
 Tuæ mandatum, curâsti probè & benè,  
 Pudicèq; educaſti ingenium illius, in  
 Artibus, & honestis literis, & moribus:  
 Nam cæteri, quod faciunt, plerumq; aulicî  
 Magistri, ut principes suæ concreditos  
 Fidei, à studijs ac literis ad ocium  
 Retrahant, & philosophos contemnere, & viros  
 Doctos videre assuefaciant: quasi principe  
 Indignum esset, vacare literis bonis:  
 Et satius, ut corpus venando exerceat,  
 Quàm animum, præcipuam partem hominis, studio  
 artium,

Et literarum expoliat: Horum tu nihil  
 Eum docuisti: sed ea tantum, quæ pium  
 Sapientem, laudatumq; principem decent.  
 Quibus pro benefactis fateor deberier  
 Tibi, præter libertatem, qua te lubens  
 Iam olim donavi, multas gratias.

Here, si quid facio, aut feci, quod placet tibi &  
 Id gratum fuisse aduersum te, habeo gratiam,  
 Nam meritò hæc euenerunt à me tibi. Si enim  
 Ego item memorem, quæ tu locasti in me bona,  
 Nox diem adimet, fecisti enim, ut nunquam tibi

B iij

Dignas

EL.



Dignas referre gratias possim satis:

Perinde, ut tu pro meritis de me & filio:

Quod enim maius potuisses beneficium mihi

Præstare, quam nullos cum haberes liberos,

Quod filio meo voluisti omnia tua

Bona legare? AB. Memini factum, nec penitet.

EL. Sed & nunc omnibus præfecisti bonis:

Ut omnia sub mea manu reposita sint:

Ipsamque; filium magisterio meo,

Et fidei subdidisti, & meæ fiducia.

AB. Haud nuto factum. EL. Quid multis verbis opus?

Ex seruo herum fecisti: aliaque; in me bona

Innumera contulisti: pro quibus omnibus

Nunquam poterō dignas gratias rependere.

AB. Imo poteris: & nunc adest occasio.

EL. Quomodo? AB. Si rem geras erga me fideliter.

EL. Cedo quid vis faciam? Id audies, sedeamus hūc.

EL. Sede. AB. Chananaeam filio me non dare,

Id iam tenes? Nec ullam gentium,

Inter quas habito? EL. Sic dixti. AB. Nunc percipe,

Quid consilij capiam. EL. Ausculto quid me velis.

AB. Meministi, quid mihi ante paucos huc dies

Renunciatum ex Mesopotamia fiet?

EL. Memini de fratre tuo Nachor. AB. Planissime.

EL. Et huius filio Bathuël. AB. Videlicet.

EL. Et filiabus ipsius. AB. Rem omnem tenes.

Quid



Quid ni teneam? AB. Nunc ergo pone manum tuam EL.  
Sub femore meo. EL. Cur? AB. Quia iurandum iam  
est tibi.

Quid iurem? AB. Quod iubebo. EL. Quid iubes? EL.  
AB. Volo

Vt ad terram meam, & cognationem ibi  
Meam pergas, & capias uxorem Isaco,  
De familia mea. EL. Facilius hoc, here,  
Precipitur, quam efficitur. AB. Quamobrem? cedo.  
EL. Quid

Vxor quid faciat, in manu non est mea.

Intelligo. EL. Qui enim tu scis an me sequi

Velit puella? Nam dulce est patriae solum:

Nec cuiusvis est hominis, pede profugo & vago

Hinc inde errare. AB. Imò vbi virgo intellexerit,

Cui nubat: sequetur animo promptissimo.

Qui sic? AB. Quia nubet populari suo & sanguinis EL.

Propinquitate coniuncto sibi. EL. Esto ita:

Connubium suo gentili non abnuat.

Quid verò, si in patriam anere postulet,

Nolitque sequi me? Quid tum agam? num filium

Reducam in terram, vnde huc olim migrasti, here?

Cauesis ne hoc faxis: neu in animum inducas tibi,

Meum vt reducas illò filium. EL. Obsecro

Quamobrem? an non videtur hoc duobus ex

Malis optatius gnato uxorem dare,

In patria terra, piam atq; commodam:

B iij

Quam



Quam hic inter ignotos & peregrinos eum.  
 Vel uxorem ducere malam atq; incredulam  
 Deo: vel omnem ætatem exigere celibem?

AB. Imò neutrum mihi placet, & tu quod times,  
 Frustra times. EL. Quì sic? AB. Quia hoc negotium  
 Non à voluntate humana pendet, neq; in  
 Nostra situm est manu: sed vnius DEI  
 Opus est. Ad hunc nostri oculi auertendi: EL. Benè:  
 Sed quì tu scis, an ita placeat Deo, an secus?

AB. Ehò, tu ne, Eleasare, dubitas hoc? Dominus Deus  
 Cœli & terræ, qui me domo patris Tharæ,  
 Et è terra natalis eduxit soli,  
 Et locum in hunc statuit: tam crebrò pollicitus est,  
 Ac iureiurando confirmavit mihi:  
 Quòd Chananeam terram mihi atq; posteris,  
 Ex Isaco daturus sit. Et id sæpius  
 Iam repetiuit: eamq; ob causam factum puto, vt  
 Me ex tot laboribus, tot ex periculis  
 Tot exilijs eluctatum, hoc demum loco,  
 Inter Chananeos voluerit quiescere.  
 Huic ego fidendum, in hunc respiciendum puto,  
 Neq; committendum, vt hinc recedat filius,  
 Aut illò redeat, vnde olim migravimus.  
 Atq; haud dubito, quin angelum suum tibi  
 Quasi pronubum, concessurus in hac re fiet,  
 Vt eius opera uxorem capias filio.

EL. Ita ne fore credis? AB. Quid ni credam, qui angelos

Toties



FRISCHLINI.

25

Toties mihi adiutores in periculis  
 Et rebus aduersis vitæ habuerim meæ:  
 Multisq; pridem hoc documentis cognouerim?  
 Sin autem res secus, quàm spes est, ceciderit, **EL.**  
 Nunquid iuramentum nihil obsuerit mihi?  
 Nihil prorsus, duntaxat filium meum **AB.**  
 Ne illò reduxeris. **EL.** Cauebo hoc facilimè.  
 Quin ergo manum ponis sub femore. **EL.** Ut tui lubet **AB.**  
 Arbitratu tuo iusiurandum dabo,  
 En pono. Quid nunc? **AB.** Recte sanè: Aduerte nunc  
 Animum, & præeuntem verbis me sequere. **EL.** Lu=  
 Deus Cœli & terræ, te inuoco testem mihi. (bens. **AB.**  
 Deus cœli & terræ, te inuoco testem mihi. **EL.**  
 Quòd Abrahami heri mei filium Isacum. **AB.**  
 Quòd Abrahami heri mei filium Isacum. **EL.**  
 Ex hac terra in patriam nolim reducere: **AB.**  
 Ex hac terra in patriam nolim reducere: **EL.**  
 Neq; vxorem illi Chananæam, aut similem dare: **AB.**  
 Neq; vxorem illi Chananæam, aut similem dare: **EL.**  
 Sed eam, quam iubeor pro virili quærere: **AB.**  
 Sed eam, quam iubeor pro virili quærere: **EL.**  
 Et sine fraude ac dolis. **EL.** Et sine fraude ac dolis. **AB.**  
 Sic me DEVS adiuuet. **EL.** Sic me DEVS adiuuet. **AB.**  
 Nunc acquiesco & defæcato abeo animo. **EL.**  
 Nihil ergo me vis aliud here? **AB.** prorsus nihil,  
 Quia meus nunc animus in portu nauigat. **EL.**  
 Sed nunquid causæ est, here, quin proficiscar hodie? **EL.**

B V

Statim



AB. Statim ne? EL. Sic. AB. Iam? EL. Sic proorsum, nisi  
quid moræ est.

AB. Ut ut lubet, nam in me nihil erit tibi moræ.

EL. Eo, nam prius animo ocioso esse haud queo,  
Quam tibi gnatoq; tuo rem omnem perfecero:

AB. Rectè. EL. Sed dum nimium propero, penè fueram  
Oblitus, quod vel maximè iam ab initio

In hac re scitari volui. AB. Quidnam? cedo.

EL. Vtrum tuus etiam filius huius rei

Est conscius? AB. Cur id rogas? EL. Meritò, quia  
Cauendum, ne inuito obtrudamus coniugem.

AB. Ne sis sollicitus, nam tali ingenio meus

Est filius, ut eadem illi placeant, quæ mihi,

Eadem displiceant, quæ mihi. EL. Noui quidem

Ingenium eius, quale sit in rebus cæteris:

Sed in re vxoria nondum perspectus est

Mihi illius animus. Nam hoc mercimonium

Proci nostrates cæcis oculis non emunt.

AB. Quiesce. Istanc rem ego rectè videro domi.

EL. Sed dum absum, quis meas geret interim vices?

AB. Syro hanc dedi prouinciam, ut rus hinc eat:

Nostrosq; obseruet seruulos: dum tecum ego

Hoc transigerem negotij. Pro in animo

Tranquillo es Eleasare, & de rebus interim

Nostris in vtramuis aurem quiescito.

EL. Sed nullòsne mihi comites adiungam viæ?

AB. Imò ut voles: nam reperies intus domi



Pro arbitrato tuo. EL. Sat habeo, benè vale:  
 Et felicem mihi reditum à DEO impetra:  
 Namq; vna precatio tua plus mihi commodi  
 Feret, quàm omnis labor meus. AB. Benè ambula.

## ACTVS I. SCENA II.

ABRAHAMVS.

**V**erissimum id esse, vulgò quod dici solet,  
 Re ipsa nunc demum experior: si quis bonum  
 Et frugi nactus sit seruum ex sententia:  
 Eum non postremum hac in vita commodum  
 Adeptum esse, velut ego hunc habeo Eleasarum.  
 Nam is in me herum matura solet capessere:  
 In se sera: et, quod iubetur, citius citis  
 Quadrigis properat persequi: Tum quas ego  
 In seruo puto virtutes longè maximas,  
 Fidem ac taciturnitatem: has rebus omnibus  
 Adhibet, et quod rarum in seruo est, contumelias  
 Nullas, nulla maledicta in quenquã hominem ingerit:  
 Pietatis insuper tantò obseruantior  
 Est cæteris: quantò illi ad seua crimina,  
 Et conuitia se habent ferè procliuius.  
 Itaq; mihi dubium non est, quin angelus  
 Dei eum huc reducturus sit fatis propitijs,

Idem



Idq; vt fiat, DEVM immortalem vnicè precor.  
 Nunc proximum est, vt conueniam natum meum:  
 Et eum de consilij nostri sententia  
 Certum faciam. Nam mihi solus nunc restat mihi  
 Monendus, vt si eueniat, quod volo, nihil  
 In ipso sit moræ. Et spero sic fore:  
 Nam nulla in re prius vnquam immorigerum habui.  
 Ibo intrò, vt, quæ constitui, peragam sine mora.

## ACTVS II. SCENA I.

ISMAEL.

Octona-  
 rij iam=  
 bici.

**E**Xite, agite, ite ignaui: vos malè conciliati habiti.  
 Ite ociosi, quidnam restitatis? Iamdudum iubar  
 Clarum solis obortum est: & omnes syluæ luci peruiæ.  
 Et vos adhuc ignaui stertitis? Excutiam hercle inertiam  
 Hanc vobis, si vixero. Quanquam animatos vos esse  
 se video,  
 Ita negligentes, ita deperditos, ita ingenio improbo,  
 Vt duritia tergi me vincere cogitetis. Nam ego ferè,  
 Semper prius pulsando, quàm vos vapulando, per  
 Iouem,  
 Fatigari soleo, neq; crediderim sanè hic homines magis  
 Vnquam asinos procreatos esse, quàm estis vos plagi=  
 patide.

Quid



Quid enim hesternæ meæ profuit increpatio? quid verbera?

Quid innumerae plagæ, quibus costæ vestrae etiamnum valent?

Nunc ad edictionem isthanc meam omnes animo aduertite.

Nisi centum lepores hodie, totidemque capreas cepero: Omnes vos ego domum abripiam, atque ibi loris ad necem operiar.

Atqui heri prædixeram omnibus, dederamque eas provincias

Hic singulis: ut alij vestrum adducerent vegetos canes

Secum: quos illis per hyemem educandos tradideram: alij

Sepes diruerent: et ceruis omnes agros et vineas

Patefacerent: alij syluam Pharan septo circumdarēt:

Alij plagas et retia conficerent, et venabula emerēt:

Et hoc omnes ageretis, rebus vestris omnibus domi

Intermissis, ne liberum quidem memores et coniugum.

Sed officium non facitis, nisi malo commoniti atque flagris.

Quin nunc assistite contra me omnes, et quæ loquar, aduertite.

Tibi nequam et scelerum caput, mandari dudum iusseram,

Ut rete conficeres, ubi habes? i, affer: nunc iam affue-  
ris hic

Statim.



Statim, tuis ex virtutibus à me probè exornaberis.  
 Quid tu verò? quid respectas? hoc sis vide: hoc age,  
 verbero,  
 Huc animum aduerte: huc adhibe aures, Tibi manda-  
 tum fuit, canem  
 Ut tecum adduceres. Vbi est? quid mussas nebulo?  
 quid taces?  
 Proh Iupiter, quæ hæc oscitantia est? quæ negligentia?  
 Itane ad mandata claudi, cæci, muti, manci ac debiles  
 Estis? nihil ut rectè facere in animum inducatis, nisi  
 malo  
 Et damno mulctati aliquo? Ego ædepol vos accipiam  
 modis,  
 Quibus digni estis, miseris: ut memineritis vestri &  
 mei.  
 Chamum optimè. Ex hoc iam sciam, quid isthuc sit  
 negotij:  
 Quòd omnes tam remisso ingenio, tam recordibus  
 animis  
 Estis, tam futiles, tam deniq; nullius pretij homines:

## ACTVS II. SCENA II.

CHAMVS, ISMAEL.

Octonā  
 vij.

**D**ispercant omnes rustici, omnes agricolæ, omnes  
 Philosophi,

Quicunq;



Quicumq; velligone, vel aratro, vel falce, aut sarculo  
Philosophantur. Dispercant, inquam, pessimis omnes  
modis:

Nam horum nunquam cuiquam quidquam, in men-  
tem venit, ut rectè faciat.

Modò egressus domo, ut futuræ venationi operam  
darem:

Et quæ necessaria sunt præpararem: vix vnum in  
Pharan

Reperi, suo qui fungeretur officio rectè & probè.

Omnes stare, oscitari, ronchos ducere: deniq; nec  
malis

Neq; bonis verbis, nec verberibus quidquam moue-  
rier.

Sed certum est mihi, si herus illò aduenerit, impunè  
haudquaquam ferent.

Nunc conuertor domũ ocysus. IS. Vocabo. Heus Chame.

CH. Quis vocat?

Ausculta. CH. Emerere oportet, quem tibi obedire velis. IS.

IS. adsta, mane.

(respice.

Satis pro imperio, quisquis es. IS. ego sũ, Chame ad me CH.

Proh Deum herus est. non videram, obsecro te hercle, CH.

ignoscas mihi

(mo lubet.

Nam alium esse censui, ac es. IS. Erga alios sis, ut ani-

Dum modo mihi rectè morem geras: sed quid agunt  
rustici?

(Pharan.

Isti ne? IS. non: sed quos tecum eduxisti in desertum CH.

Nihil .



CH. Nihil rectè. IS. Neq; hi scelesti verberones quicquam  
agunt,

Nihilq; omnino eorum persecuti sunt, quæ iusseram.

CH. Credo facile: ut est ingenium omnium agricolarum  
à venatoribus.

Alienum: Nam quales sint isti, modò quos in nemus  
Pharam

Eduxi: id malo te coràm videre, quàm verbis meis

Prolixius doceri. IS. Ego de illis post in agro videro

Nunc aliud agendum restat: cuius gratia huc voca-  
ueram.

CH. Quid illud? IS. Audies. An non dederas huic rustico  
canem

Saginandum? CH. Imò. IS. Vbi est? CH. Heri mortuus  
est. IS. Mortuus? fame arbitror.

CH. Fortasse. IS. Sed an non huic etiam dederas canem?

CH. factum here.

Atq; eccum. IS. sine videam. Tene interim hoc meum,  
tu furcifer,

Venabulum. Proh Iupiter. Proh magna Diana, non  
pudet

Te, hunc strigosum canem in meum conspectum pro-  
ducere.

Qui ossa atq; pellis totus? Ita cura macer? quin exta ei  
Vel viuo etiam in sole inspicere licet. Ita pellucet,  
quasi

Laterna Sueuica. CH. ita agiellm fore credidit, ut qui  
abdomine Pingui,



Pingui, non impediretur. IS. At ego tres passus cur-  
riculo.

Emeteri non posse, certò scio: nam totus est macer.

Totus cura famelicus. Sed cur cibum non præbuit?

Quid negligentia hac pro meritum censes, Chame?

CH. Quid? Crucem.

Hem sic datur, si quis hero morem non recte gerit suo.

I intrò. Sed ubi nunc alter, quem rete afferre iusse-  
ram?

Hic adstat quidam cum reti. IS. sine videam: proh CH.

Iupiter:

En rete hoc ad lepores capiendos factum. CH. Ad

ursos forsitan.

Nam ita laxum est, ita rarum: ut ursi atq; alces pene-  
trent sine.

Omni remora. IS. Quæso hercle, homo hominum  
omnium deterrime,

Cur ausus hoc facere? Cur officium tuum sic negligere?

Quid meritis est? CH. Quid? pro vna pessima pla-  
ga, centum optimas.

Pol, haud erras, Chame. Sed quid tu respondes mihi?  
quid stas lapis?

Hem, verbero plagas tibi centum optimas, pro vna  
mala:

Hem, vapula, nequissime: vapula: meritòq; vapula  
tuo.

Atq; audi: Si posthac vel te vel alium negligentem ita



Deprehendero: ad id redigam miseriarum, ut semper sis miser.

Sed age, Chame, exploremus nunc etiam illorum venabula.

## ACTVS II. SCENA III.

SYRVS, ISMAEL, LABRAX, CHAMVS.

Octo= **P**rouiso ubi sint agricolæ: quod nusquam com-  
narij. parent domi.

Nam biduum reor, ex quo non redeunt ex syluis domum,

Mirum profecto, nisi genio suo indulgent, aut crapula:  
Ita ut fit, Domini ubi absunt. IS. Tuum ne Labrax,  
hoc venabulum?

LA. Meum verò: meo, qui illud habeo coemptum peculio.  
CH. Satis superbe. LA. Satis moleste. CH. Confidentiam  
vide

Hominis rustici; ut os sibi distorsit carnifex. LA. om-  
mitte me.

IS. Nunc sine venabulum tuum cedo, ut videam penitissimè.

LA. En cape. IS. Quid hoc? Iupiter ut te perdat cum isto  
venabulo,

Quod totum æruginè obsitum est, totum exesum rusti-  
bigine.

Cr edin



Credin te, Chame, hac cuspide aprum posse vnum  
configere?

Egò ne? murem si confodere iubeas isto venabulo,  
Nihil efficiam. IS. Quid meritum censes? CH. La=  
braci vtilabra

Discindantur. SY. Perquirere prius non desistam,  
quam alicubi

Eos reperiã. Sed quis hic in proximo clamor oritur?  
Obsecro populares, ferte misero atq; innocenti auxi=  
lium. LA:

Subuenite inopi. SY. Proh Deum, quid video? no=  
strum ne seruumlum

Hic verberat? quid sto? quid cesso? cur opem illi non  
fero?

Quid hoc turbæ? quid tibi, venator, erga nostros  
factio est?

Quid tu hominis es? quid tibi mecum negotij, igna=  
uissime? IS:

Imò quid tibi negotij cum seruis nostris in tuis  
Venatibus? Cur illos ab operis suis, rure abstrahis? SY:

Quia sic libet? SY. Sed non licet. IS. Qui scis? tibi ne  
ego teneor (reddere

Reddere rationem, stimulorum seges? SY. Si mihi nō  
Teneris, reddes alij. Est in coelis Deus, qui quæ mala

Nos facimus, audit & videt. IS. Quis te sacerdotem  
mibi

Constituit? ego hæc plus millies, à patre audiui cum  
tedio. C ij In=



SY. Iniurius certe es, miseros qui & innocentes verberas.

CH. Siccine tu responsas hero meo? caue sis, nescis cui  
Maledicas tu viro. SY. Quid nesciam? quid mihi te-  
cum est rei?

IS. Scelestes, si nihil tibi rei nobiscum est, cur non abis?  
Cur non hinc ocyus face sis? SY. Agricolas dimittier  
A te volo. Hoc si feceris, discedam: nam ruri hic eos  
Operis vacare oportet: hoc herus iubet. IS. quis he-  
rus iubet?

Neminem ego herum mihi agnosco. SY. Eho, num tu  
regnum hic possides?

IS. Irrides furcifer. Accede huc Chame, & propter ma-  
stigiam hunc

Assiste nec mora sit, si vnum ei contra me exiciderit  
verbulum,

Quin pugnus continuo in mala hereat. CH. libens  
ter obsequor:

Neq; ad ceruos aequae cursim procurram, vt conficiam  
manu.

SY. Caue sis, ne me attingas scelus. CH. quid tetigi ne? num  
dolet?

SY. O facinus indignum. IS. Geminabit nisi caues. SY.  
Hei misero mihi.

IS. Quid clamitas? abi hinc SY. Dispeream, nisi ego  
istanc in iuriam

Nobis illatam, ad iudices deferam. IS. Imò mihi gra-  
tias

Debes.



Debes, quòd tam leniter actum est tecum, nec vti pro-  
meritus es.

Eo hinc. IS. Si dudum ijsse, non hic vapulasses car-  
nifex.

Sed quid nunc agimus? cur non imus? sequimini me  
hâc rustici.

## ACTVS II. SCENA III.

SYRVS.

**D**Eum immortalem, quæ huius venatoris est Sen.  
Iniquitas? quæ iniuria in hos innoxios  
Et immerentes agricolas? Itan homines  
Pecudum ritu tractare istis Satyrjs licet?  
Quasi verò miseri in hoc nati sint rustici,  
Venaticos vt alant canes: quibus domi,  
Quod ipsi edant, nihil est, & liberos fame  
Experiuntur non rarò contabescere.  
Quæ verò miseria est, tot flagris affici,  
Sic vapulare? Sic ad quemuis aulicum  
Nutum intremiscere, nec contra audere hiscere?  
Emortuum ego me mauelim, letho malo:  
Quàm non illi dem hodie insidias Chamo,  
Qui me tam indignis immeritum habuit modis.  
Sed interea domum rursus concessero,  
Dum illi à venatione sese huc recipiant.

C iij

ACTVS



## ACTVS II. SCENA V.

ABRAHAMVS, ISA CVS.

Senarij. **R**em omnem tibi demonstraui intus ordine.  
 Minus si tenes, volo percipias denuo.

IS. Commemini omnia pater: nempe vxorem mihi  
 Daturum te dicebas. AB. Recte, fili Isace.  
 Nam ea nunc gratia produxi te foras,  
 Tecum vt loquar ea de re familiarius.

IS. Ausculto, quid velis me hic amplius pater.

AB. Equidem hunc videre sepius optaui diem,  
 Cum ex te esset aliquis qui te appellaret patrem,  
 Et ad quem terræ huius cederet hæreditas:  
 Quando quidem diuina ad te & posteros tuos  
 Pertinet, exclusis fratribus, promissio.  
 Sed hætenus, vt voti huius fierem particeps,  
 Nunquam sese obiulit sperata occasio.  
 Nunc itaq; (quæ res bene vertat mihi & tibi,  
 A deoq; toti familiae & nepotibus)  
 Hodie vxorem ducas volo, me viuo patre,  
 Priusquam moriar, & è corpore migrem meo.  
 Nam propterea tibi nunc omnia bona tradidi:  
 Vt propriam tibi constituas familiam.  
 Sed vereor vt possim. AB. Cur? IS. Quia matris Saræ  
 Memoriam & luctum animo nondum eieci meo:  
 Nec pum annus quartus exijt, cum diem obiit:

AN



An igitur non absurdum erit, me operam dare  
 Tristem iam, nuptijs & cum flere addecet:  
 Ridere? AB. Imò sat lachrymis datum reor.  
 Neq; enim lamentari nos mortuum decet,  
 Ut Chananæi faciunt: quibus adempta spes  
 Alterius vitæ est, nec se rediuuios fore  
 Vnquam credunt. IS. Sic est. AB. Quin. mater hoc  
 idem.

Scio, te facere vellet, ego, quod te volo:  
 Si viueret. Nunc quod obiit, id non est nouum:  
 Quia morti omnes debemur, quotquot viuimus.  
 Proin istam omite vanam sollicitudinem,  
 Et da te hodie mihi, ac noli aduersarier.  
 Sed ætas non videtur immaturior?  
 Deus bone, ætas quæ sit immaturior?  
 Annos quadraginta natus es: & ducere  
 Vxorem, te ætas prohibet? Quid statuendum erit  
 De ijs, qui priusquam medium contingant tuæ  
 Ætatis, ante annum haud rarò vicesimum  
 Vxores ducunt, liberos vt procreent,  
 Aut potius vt suam voluptatem expleant:  
 Cum sint ipsimet plus quàm infante: ὤπιον?  
 Faciant, quod lubet, alij, mea sic sententia est.  
 Quod aliorum dissimilis esse moribus  
 Studes: in hoc te laudo. Sed tuam mihi  
 Ætatem frustra inferis, quæ & confirmatior

IS.

AB.

IS.

AB.

C iiij

Est,



Est, & vitæ suæ habere iam modum potest.

IS. Age, mitto ætatem: mitto & mærorem meum.  
Sed vnde tandem vxorem inuenies commodam,  
Et moribus ac religioni parem meæ?

Qualem omnino esse oportet eam, quam duxero.  
Nam in his terris haud vllam talem reperies.

AB. Ne sis sollicitus: sed responde, quod rogo.

IS. Quid est? AB. Si virgo, quam reperero, pia & proba  
Tuisq; accommoda sit moribus, vni ducere?

IS. Ego te puto & ætate, & beneuolentia  
Plus scire, ac prouidere, quàm me ipsum, mihi.

Proin si ita æquum censes, aut factum est opus,  
Age fiat, mos geretur. AB. Facis, vt te decet,  
Cum istuc quod postulo, impetro cum gratia.

Nunc tu, quod reliquum est, hosce per dies, domi,  
Vt sis, vide: & rem familiarem bene gere,

Dum redeat huc Eleasarus. IS. Quonam ille abit?

AB. In Mesopotamiam, ad cognatos nostros domum  
Bathuelis, filij Nachor, fratris mei.

IS. Quid illic acturus? AB. Rogitas Cognatæ ibi  
Puellæ ambibit nuptias, è patria

Domo. Nam vt hoc faciat religione fidei,

Et iureiurando obstrictum dimisi. IS. Itan

Pater? AB. Sic IS. prob Deum nunc demum intelligo,  
Vnde initium duxerit, & quò tendat tua

Oratio: nam hæc mihi primò absurda admodum,

Et insolens visa est: cum ante hac de vxorio

Negotio



Negotio nullum fecisses verbulum:  
 Sed credis ne adducturum secum virginem  
 E patria? AB. Ita spero quidem: sed spes humana ita  
 Est comparata, ut nisi precibus foueatur, &  
 Fide in deum, insperata saepius accidant,  
 Quam quæ speres. IS. ita est. AB. Proin votis Deum  
 Ardentibus roga, ut hoc secundet illi iter:  
 Et angelum suum adiungat ei pronubum.  
 Ita faciam. AB. Nam opes, agros, pecunias, IS.  
 Et similia parentes relinquunt liberis:  
 At vxor honesta à solo prouenit DEO.  
 Vera memoras. AB. Abeamus ergo intro & bona IS.  
 Spe freti expectemus, dum tandem redeat huc  
 Eleasarus cum sponsa tua. IS. Præi, sequar.  
 Quid hoc negotij? an hoc non est patrem pium,  
 Sapientem, intelligentem esse: mihi tam benè  
 Rebusq; meis, & fortunis qui prospicit?  
 Nam proh DEVM, quæ hæc est illius cautio?  
 Quæ in filium pietas? quæ prouidentia?  
 Ne quid detrimenti, aut damni capiat mea  
 Domus: neu insidiæ dentur ab incolis mihi  
 Per matrimonium: ut nunc mos est maxime.  
 Itaq; adeò magnam curam iniecit mihi.  
 Cura sua: ne fortè imprudens hic agam,  
 Quod nolit. id sciens cauebo. nam decet  
 Esse audientem dicto patris filium  
 Bonum: qui rectè sapit: itidem, ut ego sum patri.

C V

Cui si



Cuifsi quid volupe est, mihi voluptas maxima est.  
 Nunc intrò concedam: vt, quæ iussus sum, exequar:  
 Ne mora fortè meis nuptijs ego met siem.

## ACTVS III. SCENA I.

ELEASARVS.

Senarij. **H**I sunt loci atq; hæ regiones, quæ mihi ab hero  
 Sunt demonstratæ, vt rationem capio oculis.  
 Nam ciuitatem hanc esse Charras autumo:  
 Vbi ille habet patruelis heri mei Abrahamæ.  
 Itaq; nimis velim dare mihi obuium  
 Hominem, qui certum me faciat, vbi Bathuel  
 Habitat: cui ab hero nuncium apporto meo,  
 Vt filiam eius ambiam, herili filio:  
 Sed annon ego sum compeditus & miser:  
 Cùm nemo hominum est, qui se mihi ferat obuium:  
 Nec gnarus sum loci: neq; vnquam hic fui:  
 Nec quenquam in his hominem noui regionibus?  
 Nunc quam facile sit peregrinis mihi in locis  
 Ignoto incertas nuptias sectarier,  
 Quiuis, tacente me, sponte sua intelligit.  
 Quid ergo acturus: cui neq; gutta consili  
 Certi parata est, neq; nunc quid faciam, scio.  
 Neq; exodiri primum, vnde occipiam, habeo:  
 Neq; ad texundam telam certos terminos?  
 Quid si hic eos imiter, qui inuestigant mare?

Nam



Nam qui viam nescit, qua veniat ad mare,  
 Eum oportet amnem quærere comitem sibi.  
 Ego in hac re commodiorem nescio viam:  
 Nisi vt hunc puteũ, quem hinc conspicio, gradu petam.  
 Nam haud dubie homines hinc confluent exoppido,  
 Vt aquam hauriant: quando ita diei tempus est:  
 Et serus declinat dies in vespereum.  
 Et certe sic agam: nam hinc puteus nunc mihi  
 Amnis erit. Hunc certum est sequi. Sed proh Deum  
 Quod hoc offertur tam lepidum spectaculum  
 Mihi? Quæ istæ tot mulieres, hinc cum hydrijs  
 Ad me viam affectantes? Vtinam fas mihi  
 Deum rogare, vt ex his foeminis, quæ aquam  
 Modo haurient, ipse vnã vxorem destinet  
 Herili filio: meumq; in re satis  
 Confusa & perplexa, animum pro arbitrio meo  
 Confirmet ac certum reddat. nam in his malis  
 Quæ me repente circumuallant, nullum erit  
 Auxilium tutius, nullumq; remedium  
 Presentius: quàm supplicem fieri Deo:  
 Vt propicio is nomine suo nos adiuuet:  
 Qui in nescijs rebus spe nescia sumus.  
 Equidem PRECES piũm, nunquam sunt irritæ:  
 Neq; quidquam ijs est vspiam efficacius:  
 Quoniam hæ solæ fidelium arma sunt, quibus  
 Cælum expugnatur, & aduersa in vita superantur.

omnia  
 narius:  
 Sole,



Sole, quibus dubij confirmantur animi,  
 Sole, quibus ieiuna spes hominum alitur.  
 Ad te igitur venio, spem, salutem omnem expetens,  
 Qui solus fons salutis es, solus auxili  
 Copiam habes, DOMINE DEVS Domini mei  
 Abrahæ,  
 Te obtestor, teq; oro & quaeso, vt ne dare operam  
 Hodie mihi te pigeat, quod te orabo: sed  
 Vt misericordiam fortunis Abrahæ  
 Heri mei impertiri clementer velis  
 Et me seruum respicere digneris tuum  
 Ecce ego sto, iuxta fontem hunc, & iam virgines  
 Ex oppido egrediuntur ad hauriendam aquam,  
 Sit ergo puella, cui dixero: Cedo hydriam  
 Tuam mihi, vt bibam, & ipsa morem gesserit,  
 Ac mihi potum præbuerit, & meis insuper  
 Camelis comiter ac benigne obtulerit: hæc  
 Sit, inquam, ego quam petam vxorem domino meo  
 Isaco, ac si mihi abs te de manu in manum  
 Esset data. Et hinc facili ratione colligam  
 Quòd misericordiam hero meo tu adhibueris.  
 Nam ego, frustra huc, illuc circumspicio, ô DEVS:  
 Frustra meo labore, meaq; industria  
 Et varijs artibus successum quaerito:  
 Nisi tu negotium clementer dirigas.

ACTVS



## ACTVS III. SCENA II.

REBECCA, ELEASARVS, CARIO.

**D**omi manete vos reliquæ. Ego hinc exeo.

Ut aquam hauriam, mox adero: vos focum interim

Senarij et  
octonarij.

Construite, ut igni luculento luceat,

Et cæna paretur, dum reuertar huc domum.

Atque audis Pardalisca? Vide ne olusculum

Igni admoueas propius: neu exuras rapula:

Id quod heri tua commissum est negligentia.

Profectò nunquam ego pedem domo efferò

Sine cura ac sollicitudine rerum, quæ domi

Geruntur ab ancillis. Adeò nostræ nimis

Sunt oscitantes: adeò ignauæ ac desides:

Ut vix vnam videas memorem officij sui.

Itaq; maturandum mihi est, ut sine mora

Cum aqua reuertar. Sed quid hoc est obsecro?

Quos ego homines hîc esse ad fontem conspicio?

Cuius hominis vox mihi ad aures huc aduolat?

Obsecro, quos ego viros hos dicam, vestibus

EL.

Pergrinis, ignota facie? Pol haud scio,

RE.

Quid mihi animus meus præfagit. Sed oculos

Quid hîc circumfero, quasi nihil fiet?

Quod agam? EL. Certè vocem audire mulieris mihi

Visus sum. CA. Here proh Deum, quæ huc femina

fert gradum

Quam



- Quam liberali facie? quam etate integra?
- EL.** Vbinam est, Cario? **CA.** Næ ego pulchriorem Eleasare  
Nunquam vidi prius. **EL.** Quin commonstras eam  
Mibi Cario? **CA.** Si hanc aspicias, delebis procul  
Omnes de hinc ex animo Canaæ mulieres.  
Nam, præ ista, nostrates mihi Pithecia,  
Et spinturnicea esse videntur. **EL.** Enecas  
Me nugis tuis: Quin tu tandem monstras eam  
Mibi, quonam abierit, aut vbi sit? **CA.** Eccam, here,  
Huc redit è puteo. Viden ipsam? **EL.** Video, sed heus.  
**CA.** Quid est? **EL.** Camelum serua tibi meum: dum ego  
Redeam. **CA.** Quo ibis? **EL.** Procedam Virgini ob-  
uiam,  
Vt alloquar, priusquam hinc abeat longius.  
Equidem certum mihi est hic experirier,  
Virum hæc illa sit, pro qua Deum modò  
Precatus sum, & vtrum ipse hoc fortunauerit iter.
- RE.** Ad me tendit hic homo. **EL.** Puella salue. **RE.**  
Salue & tu ædepol.
- EL.** Gratiam habeo tibi. Sed est quod te oratam volo,  
nisi tibi  
Molestum est. **RE.** prout oraris, dabitur opera & in  
negotio.
- EL.** Haud magnum est, quod te orabo. **RE.** quid este
- EL.** Hydriam tuam mihi cedo, vt  
Bibam. **RE.** Lubens: cape & bibe, Domine mi, quan-  
tum vis. **EL.** Gratiam

Habeo.



Habeo. REB. Bibe amplius, si gratum id est tibi

EL. Gratissimum. Sed ego bibi satis. REB. **Quin**  
etiam si placet,

Senarius.

Tuis camelis hauriam, dum se potu satiauerint.

Magnas meritò tibi gratias ago, cū istam mihi copiam EL.

Tam prompto offers animo: Ac certè mihi officium  
gratissimum

Prestituris, modò non sit molestum tibi. REB. Mo=  
lestum hoc sit mihi?

Cur obsecro, grauarer, quam vobis, aquam hostis ho=  
sti commodat?

Adducite vos camelos huc propius ad hunc canalem:

Ego hinc

Aquam ex hydria mea infundam omnibus. EL. Dij  
immortales, quid hoc

Dicam esse negoci: mihi quod tam subito, nec opinan=  
ti, accidit?

Nam quid ego in hac potissimum relaudem? quid po=  
tissimum

Admirer? quid primum aut postremum prædicem?  
num virginem

Que tam benigna & comis est in me hospitem? an  
v. ro Dei

Cuius nutu reguntur hæc omnia? Equidè totus animi

Pendeo, nec quid prius hic agam certus sum: nisi vt  
experiar, an

Deus hoc iter fortunarit. Nam huius ego prouidentie.

Omnia



Omnia committo: cum sine hac nihil rerum geri  
queat.

Hæc illud cornu copiae mihi est, ubi inest, quicquid  
volo.

In hac consilio in sunt omnia: in hac thesaurus sapi-  
entiae:

In hac rei exitus proffer: In hac vxor herili filio:

Poëta fortunam Deam faciunt, cæloq; collocant:

Vt quæ humana arctet & fingat, pro libitu, omnia  
Cæteri homines,

Cum quid bene euenit, suæ plerunq; adscribunt in-  
dustria.

Nam bene ubi quid consilium discimus accidisse, cati  
hominem

Eum esse declaramus, stultum autem illum, cui vertit  
male.

Stulti haud scimus, frustra aut scimus, cum sapienter  
aliquid dari

Petimus nobis: quasi quod in rem sit, possimus noscere.

Ego certe diuinæ prouidentiae hoc negotium

Totum fero acceptum: in cuius manu & nos & sa-  
pientia

Nostra omnis, & omnes sermones sunt: Nam pro-  
fecto sic erit.

Centum doctorum hominum consilia sola deuincit Dei

Prouisio, qua administrantur mortalium in vita om-  
nia.

Sed



Sed eecam virginem, quàm celeriter ab opere huc se  
recipiat.

Ad te reuertor domine mi, posteaquam cameli omnes REB.  
tui

Biberunt: Nunquid vis me aliud? EL. Nihil, nisi ut  
bene sit tibi.

Et ego ut gratum me ostendam: atq; adeò munuscu-  
lum tibi

Dem pro tuo in me beneficio. RE. Non est opus: feci  
lubens,

Et sine molestia. EL. Sine me, Nam me tibi benignè  
itidem addecet.

Bene merenti, bene ferre gratiam. Atq; en tibi mu-  
nusculum

Capte hanc in aurem tibi. REB. Nimum est munus: ni-  
mio vobis aqua hæc

Constabit precio. EL. Haud quaquam nimio, quia  
longe maiora de

Nobis promerita es. Quin etiam manus porrige RE.  
Quid cum ijs ages?

Ambas his armillis exornabo aureis. REB. Absit  
procul

A me iste luxus. nam bono ingenio me ornatam esse  
voluit

Pater, non auro. EL. Intelligo, Sed hoc dic mihi, vir-  
go, nisi

Molestum est, quis tuus est pater? REB. Cur sit mole-  
stum? mihi pater

D Est

EL.



Est Bathuel, si nomē etiam audiisti ante hac *Uspiam*.

EL. Quis est ille Bathuel? cuius nam filius? cedo. RE.

Filius

Nachoris est ex Milca. EL. Proh Deum, quid audio?

RE. Res quod est.

EL. Pater tuus est Bathuel? RE. Sic est. EL. Et auus tibi fuit Nachor?

RE. Omnino. EL. Et mater Bathueli Milca fuit? RE. Planissimē.

EL. Nunc tibi *supreme IOVA*, gratias ago quam maximas

Possū animo concipere, quod misericordia tua mihi, Heroq; meo Abrahæ, non defuisti: meq; per eam *Uiam*

Deduxisti, qua peruenirem ad cognatos heri mei Abrahami. RE. Pape, quid audio? Quem nam tibi herum esse ais?

EL. Abrahamum. RE. Abrahamum? EL. Ita dico. RE. Fratrem Nachor?

EL. Ita loquor. RE. Aui mei? EL. Omnino, siquidem pater tuus sit Bathuel.

RE. Eum ne dicis, obsecro, qui procul hinc in Canaahabitat?

EL. Eum ipsum, nisi tu alium Abrahamum noueris. RE. Dic obsecro

Mi vir, quæ via huc te produxit? EL. Non est hic narrandi locus:

Nan



Nam serus, ut vides, iam iam componit hesperus  
diem.

Sed si in domo patris tui pernoctandi locus dari  
Potest, domi tuæ intus post dicam. RE. imò non tan-  
tum locus

Pernoctandi: sed pabuli & straminis apud nos affa-  
tim

Erit: ac proin eo, ut hanc rem nunciem domi. EL.

Mane. RE. Quid est?

Iam non abibis, nisi prius has armillas indueris. RE.

Si ita

Placet tibi, accipio. EL. rectè: facis quod te decet. RE.  
abeo.

Tu ut tempus est diei, vide ne quo abeas longius. EL. Dimeter.

Mones, benè ambules modò. (Benè

## ACTVS III. SCENA III.

ELEASARVS.

ILLA abiit. Proh Deum, quis me est felicior? Senarij.

QUIS me hominum in terris viuit fortunatior?

Qui ex improviso adueniens, inueni hanc modò

Puellam, qua cum volo, & ut volo heri filium

Iungi: & eam de genere summo, & cognato heris

Meis: modestam, ingenuam, studiosam rei

Domestica, sine sumtu, sine mundo, sine

Omni fastu: & plane dissimilem virginem

D ij

Nostra



Nostrarum virginum: quæ in delitijs domi  
 Et atulam exigunt: et quas ferè sui  
 Officij pudet ac piget. Ego hanc laboribus  
 Assuetam arbitror. At nostræ virgines nimis  
 Sibi placent, nimisq; dant operam, ut suis  
 Placeant amantibus. Itaq; noctes ac dies  
 In omni ætate semper ornari solent.  
 Semper lauari, tergi, pingi ac fingier.  
 Postremò cum bene lautæ, ornata, sublitæ  
 Pietæ ac fidei fuerint, infectæ sunt tamen,  
 In hac verus color: solidum corpus, sine  
 Auro: sine munditia: sine omni re mala:  
 Ut digna sit, Reges quam ducitent. Ita hic  
 Amœnitate amœna amœnus me dies  
 Onerat: quo ex improviso inueni virginem,  
 Quam ipsam hic quærebam? Nam quod summopere  
 dabam  
 Operam, ut fieret, DEVS id cura effecit sua,  
 Sine mea, et solus sine mea omni industria.  
 Satin si cui homini benefactum esse vult DEVS.  
 Obtingit optatum pijs? Quare moram  
 Hic nectam atq; operiar, dum quis me intro vocet.

## ACTVS III. SCENA III.

LABAN, REBECCA, ELEASARVS, CARIO.

Senarij. **A** In tu? REB. Ita est. LA. Seruum esse cognati  
 Abrahæ? Sic



Sic. LA. Et eum hanc tibi dedisse in aurem? RE. RE.

Scilicet

Et has armillas? RE. Maxime. LA. Obsecro, ubi tu LA.  
eum

Reliquisti? RE. Foris ad puteum. LA. Introduceres.

Mei officij hoc non erat. LA. At ego ibo, ut visam, RE.  
ubi

Sit, aut ubi substiterit. Tu cenam instrue domi.

Proh summum æternumq; atq; immortalem Deum,

ut multa sæpe præter spem mortalibus,

Eueniunt. Nam si quis dixisset mihi hodie

Seruum Abrahami huc aduenturum vespere,

Et armillis sororem ornaturum meam:

Ego ut hoc crederem, animum nunquam huc inducere

Potuissem. Sed quid sto? cur cesso currere?

Ad me viam affectat hic homo. LA. Atq; eccum vi- EL.  
rum.

Adibo. Hospes salue EL. Salue & tu plurimum.

Sed quinam tu homo? LA. Qui te saluum esse cupit.

EL. Quasi

Te mihi amicum dicas. LA. Imò quasi ego siem.

Sed est, quod te percontatum veni. EL. Quid est?

Loquere ut voles. LA. Tunc hic sorore cum mea

Modò eras? EL. Quenam est ea? LA. Quæ camelis

hic tuis

Tibiq; ipsi potum dedit: & cui tu munera

Retulisti, in aurem atq; armillas. Estne ea soror

D iij

Tua?



Tua? LA. Sic est. EL. Dabis veniam mihi: non no-  
ueram

Te. LA. Neq; ego te, sed dic clarè, quod te rogo.

EL. Quid? LA. Es en seruus Abrahamæ patruī mei?

EL. Is ego sum, non alius. AL. Dij te ament, tibi  
Bene faciant, & consilia tua prosperent:

Vt eueniant, quæ optas, & vt optas omnia.

EL. Ita faxint, vt spero. LA. Quid stas igitur foris?

Ingrederere mecum, vir beatissime, hodie

Tibi apud me hospitium dabitur. EL. Haud repudio  
Hospitium. nam gratum habebis hospitem.

LA. Imò gratissimum: sequere hac modò. EL. Sequor.

LA. Et vos omnes vnà. Nam sat loci est domi.

CA. Ego verò per lubens. Nam diu nunc mihi crepant,

Intestina: ac dudum dentes mei cibum

Conuenisse cupiunt: & per Iouem meus

Animus nunquam magis ante hac fuit in poculis.

## ACTVS III. SCENA I.

BATHVEL, MVLIER.

Senarij. **P**Arata est, vxor, ccena, vti dudum iusseram?

MV. **I**Sic factum. BA. Vbi Labanus cū hospite tam diu?

Nocet hæc mora ferculis. MV. Nocet certè: tamen

Hic affuturum eum mox credo, vbi prius

Lauti omnes fuerint hospites: & pabulum

Camelis.



Camelis exhibitum: BA. longas neclunt moras.  
 Miror, quid rei sit. Sed quid tu obsecro, mea  
 Coniux inopinatum hunc aduentum seruuli,  
 Portendere nobis autumas? MV. quid, nisi bonum?  
 Vnde autem id colligis? MV. quia dona filiae BA.  
 Dedit Rebecca, maurem atque armillas duas:  
 Ut primùm audiuit eam nostram esse filiam.  
 Quis scis, an eum esse se simulet quem prædicat? BA.  
 Nam, ut huius seculi mores sunt pessimi,  
 Nusquam tuta est fides. Nam mille hodie modi,  
 Quibus in fraudem incauti perducuntur homines.  
 Ab impostoribus. MV. Alij sunt, ut volunt.  
 Certè omnibus diffidendum haudquaquam puto.  
 Nimum credula es homini peregrino & aduena. BA.  
 At tu pol nimum suspicax. BA. Nondum satis MV.  
 Perspectæ sunt tibi humanarum mentium  
 Latebræ, & mirabiles ingeniorum strophæ.  
 Quid si hic seruus fugitiuus è domo Abrahamæ  
 Cum præda opima huc veniat, ut nobis nouas  
 Insidias struat, verba det? MV. Minimè omnium  
 Sperauerim: nam ea mihi de illo filia  
 Retulit, ut piū hominem, & suo fidelem hero  
 Seruum esse credam, id quod melius intelliges,  
 Vbi loquentem audieris, & coram aspexeris.  
 NAM vultus & sermo hominem totum detegit.  
 Atq; eccum, de quo nos verba facimus modò.  
 Vbi nam? MV. Huc fert gradum cum nostro filio. BA.

D iij

Quin



AB. Quin ergo mensam ocys insterni & fercula  
Iubes apponi, ut accumbamas illico?

MV. Iam fiet. Heus puer ades dum, mensam instrues  
Et fercula infer. Tu Rebecca, sequere me.

### ACTVS III. SCENA II.

ELEASARVS, LABANVS, BATHVEL,  
MVLIER, REBECCA.

Senarij. **Q**uid nunc agimus, Labane, postquam omnes sumus

Lauti, & cameli pasti ac poti? LA. Intro ibimus.

Nam dudum nos senex operitur Bathuel

Domi, atq; eccum cum matre. EL. Vbi? LA. Hic ante  
te ostiam

Nos expectant. Eamus: sequimini. EL. sequor.

AB. Apparet certe gravitas in vultu illius:

Gradum contra feramus. Salve, mi homo.

EL. Salve optime Bathuel. MV saluum venire te

EX animo gaudeo. EL. DEVS tibi det, quæ velis.

BA. Sunt multa, quæ ex te per contrarier volo.

Sed qui a iam ante moram traxistis, mensæ prius

Accumbendum censeo. Cedò aquam manibus puer:

Date ei sellam propinquam, ut assidat citò.

EL. Iam non capio cibum. BA. Quid ergo? Vin dare

Operam somno, ut qui lassus de via? EL. Neq; hoc

BA. Quid ergo? Vin prius bibere, quam edas. EL. neq; hoc:

Sed



Sed veniam mihi dabitis, si paucis eloquar.

Priusquam accumbamus, quamobrem huc venerim.

Nam nec comedam prius, nec bibam nec dormiam.

Quam id dixero, cuius causa adueni modo.

Loquere ergo. EL. Ego sum seruus domini mei Abrahæ

BA.

Sic audio. EL. Qui procul hinc in Chanaa habitat.

BA.

Noui. EL. Hominis, quem clemens DEVS mirum in

BA.

modum

Ditavit. Nam et oues, et capras, bouesque habet,

Camelos item et apros, aliarumque pecudum

Greges, in tanta copia, ut nemo in Chana.

Tum et auri atque argenti tantum ille possidet,

ut merito solus dici possit omnium,

qui viuunt in terris, hominum ditissimus.

Seruos item et ancillas in tanto numero habet,

ut eorum auxilio et vindice fretus DEI

Ope, quinque Reges una strage fuderit.

Istam felicitatem vobis gratulor.

BA.

Nam ita me DEVS bene amet, voluptati est mihi,

si quid ei contingit animi ex sententia.

EL.

Credo sane, sed date vacuas aures mihi,

Dum prorsus rem eloquar. BA. Auscultamus sedulo.

Seni praeterea, annum aetatis agenti, puto,

EL.

Centessimum mira bonitate DEI optimi

Sara vxor filium peperit annis ab hinc

Quadraginta: ne tot tantarumque illi opum

Heres deesset. MV. De hac re etiam ante audiuius.

D

Ei



**EL.** Ei pater nunc omnia tradidit bona,  
 Omnem substantiam, omnes pecudes, familiam  
 Omnem: nec quicquam deest ei præter coniugem.  
 Domi quidem offeruntur matrimonia  
 Splendida cum summa dote. BA. Cur non annuit?

**EL.** Id audies. Negat cum Chananeis, fide  
 Fiduciaq; omnim DEVM carentibus,  
 Et à sua religione alienis viris,  
 Affinitatem ullam posse colere. Ac proin  
 Meam sibi iuramento obstrinxit fidem,  
 Ut Isaco (nam id nomen herili filio est)  
 Nuptam ex Chananeis, inter quos ipse habitat,  
 Nullam locarem: sed paternam irem domum,  
 Et uxorem gentilem deligerem. Cui  
 Cum dicerem: quid si mulier nolit sequi?  
 Quid tum faciam? DEVS, inquit, cui ego parvi  
 Per omnem vitam, mittet tecum nuncium  
 Suum, ut tibi secundet hoc iter tuum.

Et tu capies uxorem filio meo

E familia patris mei. BA. Quid tu illi ad hæc?

**EL.** Lubens, inquam, hoc iter, here, perficiam: neq;  
 Laborem ullum defugiam: sed si virgo me  
 Nolit sequi: num iurisiurandi mei  
 Religione exolutus fuero? BA. Quid tibi  
 Ille? **EL.** Imò maxime, inquit: nam mihi fidem  
 Præstiteris, si tu veneris modò ad domum  
 Gentilium meorum, & quod mando tibi,

Pere



Peregeris. Nam siue dent tibi, siue non,

Omni religione fidei te exolueris.

Quid deinde fit? EL. Quid? Ego hīs persuasus vobis **BA.**  
cibus

Viam ingredior: & quā possum properē huc eo.

Cumq; hodie ad puteum deuenissem vespere,

Locorum atq; hominum ignarus: capi egomet, ita

Vt fit, alia cogitare ex alijs: & DEVM

Precari, vt is secundaret viam meam.

Domine, inquam, Domine DEVS heri mei Abrahæ:

Si tu mihi clemens ades in hoc itinere,

Da, vt hic me stante ad fontem aquæ virgo veniat

Haustura: quæ mihi roganti aquam det ex

Vrنا bibendam: atq; camelos etiam meos

Aquetur: & ego intelligam hanc ipsam esse, quam

Tu destinaueris vxorem domino meo,

Isaco: ac si mihi abs te de manu in manum

Foret tradita. **BA.** Miror profectò, quò tua

Euadat oratio. **EL.** Vix cogitaueram

Hæc mecum tacitus: cum subitò tua filia

Rebecca egreditur, vrnā super humeros ferens.

Ea ad fontem descendit: haurit aquam & redit.

Quid tu ibi? **EL.** Scies: procedo virgini obuiam: **BA.**

Saluto, respondet. sermonem copulo

Cum illa meum: peto haustum: dat mihi ocys.

Simulq; aquaturam camelos se meos

Vlrò recipit: quod & fecit post sedulò.



- AB. Est sic factum Rebecca? RE. Sic est mi pater.
- AB. Pater, quid audio? EL. Ut ad pauca redigam, rogo.  
 Cuius sit familie. respondet fideliter,  
 Se filiam esse Bathuelis, neptem Nachor.
- AB. Rectè factum. Laudo. EL. Ego, gratum ut me ostenderem  
 Accommodavi fronti eius in aurem, et duas  
 Armillas manibus: ac submisso poplite  
 Terra incumbens, Deo heri mei Abraham gratias  
 Ago, quòd deduxisset me in rectam viam,  
 Vbi conciliarem filie tue nuptias  
 Heri filio: quam ego ex his symbolis  
 Eam ipsam esse intellexeram, quam quærerem,
- AB. Hæc mira sunt. MV. Certè admodum mira: et aliquid  
 Prodigij alunt. EL. Nunc ergò, cum Dominus meus  
 Huc ad vos me miserit, ut inter se atq; vos,  
 Affinitatem conciliarem, et gratiam:  
 Si hanc conditionem accipitis, quam fero et peto, et  
 Si ex vsu vestro tam erit hoc matrimonium,  
 Quàm ex nostro, facite, ut sciam: sin verò minus,  
 Nihilò secius, ut insistam hic aliam viam.
- LA. Hæc res, Pater, planè ex DE O est: neq; possumus  
 Quicquam repugnare illi. BA. Ita apparet, Laban.
- LA. Quin ergo conditionem hanc accipis? MV. Et mihi  
 Sententia est eadem, et volo: desponde huic.
- BA. Cum affinitate me vestra arbitramini  
 Dignum, habeo primum vobis magnam gratiam.
- Deinde



Deinde, si in rem est utriq; ut fiant nuptiæ,  
Nolo tibi vllum commodum in me claudier.

Merito te laudo & magnifacio, Bathuel. EL.

Quin ergò, quæ res bene vortat, spondes mihi  
Natam tuam, ut vxor fiet herili filio?

Agè spondeo. MV. Et ego vna. LA. Et ego frater  
Virginis. BA.

Sed in ipsa ne quid sit moræ. BA. Videbimus,  
Et, quæ eius sententia sit, explorabimus. EL.

Sic certe opus est. Nisi enim nobis consentiat,  
Operam profectò ludimus. BA. Rebecca. RE. Quid

Est, mi pater? BA. qua occasione seruus hic

Ad nos deuenerit, id percepisti? RE. probè.

Et quidem petat, id tenes? RE. Teneo: nempe, ut sa-

cras BA.

Inter me & Abrahami gnatum nuptias

Conciliet BA. Rectè modò tu etiam annuas. RE. Si ita

Vobis placet. Nam VIRGO nulla est, quin fiet

Mala, quæ præter sapit, quàm suis parentibus

Placet. BA. Ergò tu annuis? RE. Si vobis ita lubet.

Imò ut etiam tibi lubeat, necesse est. Etsi enim

Sacra est parentum autoritas & plurimum

In hoc negotio valet: haud quaquam tamen

Inuitam è nostris te extrudemus ædibus.

Proin die vno verbo, vtrum consentias.

Si ita factò opus est: ut fiat, age consentio. RE.

Nam cur rem authoritate tua & vestrum omnium

Con-



Consensu bene transactam, nulla de graui  
Causa facerem irritam? BA. Facis, vt te decet.  
Quid poscis tu amplius? Habes tibi gnatam meam  
Tuo arbitrato: Eam vxorem duc Isaco,  
Herili filio: sicut visum est Deo.

EL. Immortalem Deum, cui homini vnquam vno die  
Boni dedisti plus, qui minus sperauerit?  
Gratiam habeo & ago tibi DEVS: qui compotem  
Omni voti me hodie fecisti calitus.  
Nam quid ego dicam plura? Hoc confit, quod volo.  
Nunc, vnum quod superest, pauca haec sunt munera  
Sponsalia, quae vos non recusabitis: ea  
Iussu Domini mei vobis huc attuli.  
Tibi, Rebecca, hanc pallam, & hanc do cycladem:  
Hoc vas argenteum: hunc scyphum aureum: aureum  
Hunc annulum: quo tanquam arrha, digitos tuos  
Orno: praeterea hunc torquem cervici applico  
Tuae. BA. Quorsum isti sumtus? EL. sine me obsecro.  
BA. Sino.

EL. Tibi mater & Laban, haec dono aromata,  
Quae habemus apud nos preciosissima. Vos boni  
Consulte, atq; animum potius, quam munuscula,  
Respicite. MVL Accipimus à vobis cum gratia,  
Quanquam emeriti non sumus. EL. Imò estis maxi-  
mè.

BA. Nunc postquam bene successit hoc negotium,  
Vel tandem vt accumbamus, tempus est. EL. Iam ego  
Nihil



Nihil moror. BA. Heus famuli, lympham date manibus:

Inferte fercula: & crateras statuite:

Scyphos coronate: relinite omnia dolis,

Omnesq; serias. Nam hilaris esse nunc volo,

Cum nostris hospitibus. Quin ergo accumbitis?

Tu hospes, tene hunc locum: latus tu claudito

Illi, Rebecca. Tu, vxor huic scamno inside.

Reliquis subsellijs reliquos, Laban, illoca,

Et hunc gregem exhilarato. Ego hac in mensa ero.

Dictator. quoniam optatus hic dies mihi

Illuxit. EL. Et mihi longe optatissimus.

## ACTVS IV. SCENA III.

ISMAEL, CHAMVS.

**I**nflata cornua & canite receptuis

Sendrij.

Nam sole cadente sensim inclinat meridies.

Tu, Sanga, complicato retia: & sine

Mora cum cæteris subsequitor rusticis.

At tu, Labrax, ne vacuus hinc ab onere eas,

CH.

Hanc sarcinam impone humeris, & consequere nos.

Quid vultum ducis, rustice ignaum pecus.

Vin tibi demulceam caput hoc venabulos

IS.

Bene me castor processit hæc venatio.

Minus iam rusticis irascor, quàm antea:

Nam inertiam suam pensarunt nauiter.

Necq;



Neq; quicquid nunc animo meo inest molestiae,  
Hoc præter vnicum: quod Chamus mihi modò  
Retulit. Sed vbi est Chamus? CH. præstò est, here: deo  
sine.

IS. Quid illud est, Chame, modò quod mihi dixeris?  
De fratre tuo? IS. videlicet. CH. Et eius nuptijs?

CH. Scilicet. CH. Est sic factum, here, quemadmodum tibi

IS. Dixi. Nam quantum ex aliorum sermonibus  
Intelligo: quidam in Mesopotamiam missus est,  
Vt uxorem inde petat Isaco fratri tuo.

IS. Proh Iupiter, quid audio? CH. Quod tibi loquor.

IS. Missus ne Mesopotamiam? CH. Ita IS. qui uxorem  
petat?

CH. Etiam. IS. Fratri meo Isaco? CH. planissimè.

IS. Quamobrem, mi Chame, illinc? CH. Nescio, nisi quòd  
Chananeas non placere aiunt fratri tuo.

IS. Quid tum? CH. sed nec Amorrhæas IS. quid postea.  
CH. neq;

Hettæas, neque Pherisæas. IS. quas ergò? CH. haud  
scio:

Nisi forte pictas aut fictas. Nam cum his licet

Agere vt lubet. IS. Chame, an non palàm ab his  
sanctulis

Irridemur? CH. Sanè. IS. Quasi nulla femina

Hic potuisset reperiri tanto viro

Digna, nisi è Mesopotamia peteretur. CH. Mihi hoc

Non placet. Vnum namq; hominem dignum iudico

Altero.



Altero. IS. Idem & ego arbitror. Sed Eleasari  
 Has technas esse tam scio, quam me viuere.  
 Nam is consilijs suis & fraudibus senem  
 Nostrum delirantem, quoquo vult incitat.  
 Magisq; adeo, vt mihi talibus incommodel  
 Rebus, quam hero, vt rectè morem gerat suo.  
 Credo equidem. IS. Quid ni credas? cum nuper etiã CH.  
 Senem nostrum impulerit, vt me primò sibi  
 Genitum abdicarit, & iure interuerterit  
 Meo: ac iuniorem prætulerit fratrem Isacum:  
 Tum patria bona iniquè ademerit mihi.  
 Dij vestram fidem, quid audio? IS. Res quod est. CH.  
 Ergo ne exheredauit? IS. Sic. CH. Ten? IS. maximè. CH.  
 Tantum virum? IS. Quid ni? CH. Proh Iuppiter: CH.  
 Nunc demum aduerto vnde illis sint hi spiritus,  
 Vnde hæcristæ, quas nimio cum fastu erigunt.  
 Nam quia nos Chananeos opibus sibi impares  
 Putant: ideo & affinitates respuunt.  
 Ita est. CH. Sed quid nam culpæ prætendit pater? IS.  
 Quid enim, nisi quod me agiliorum in studijs rei IS.  
 Venaticæ & alijs exercitijs videt:  
 Suum domi otiosum & deditum libris,  
 Ac modò non vitam agentem solitariam?  
 Papæ, quam iniquè comparatum, vt plus ferè CH.  
 Semper detur fucis inertibus & pigris,  
 Quàm strenuis, negotiosis & bonis.  
 Seni quidem minùs irascor, quàm cæteris. IS.

E

Qui



CH. Quis sic? IS. Quia nunc senex ætate desipit:  
Homo plumbeus, ficulneus, betaceus.

CH. Ita est. IS. Eleasaro irascor, nam illum pater  
Impulsorem ut sic ageret, certissimum habuit.  
Cui ego homini, si possim, male faxim lubens.  
Neque quicquam nunc est, quod malim, quam mihi dari  
Hic obuium cum tota fratris familia.  
Vah, quibus istum nebulonem lacerarem modis?  
Sublimem medium arriperem & capite statuerem  
In terram: ut cerebro & sanie dispergat viam.  
Fratrī ipsi, qui bona possidet scelus, animam  
Extinguerem: Sossie oculos euellerem:  
Post præcipitem è scopulo darem: Mox cæteros  
Gestores linguis auditores auribus  
Ruerem, tunderem, agerem, raperem & prosterne-  
rem.

CH. Nimis præceps es, nec te ipsum respicis, here.

IS. Quamobrem? CH. Quia, licet ij sint quamlibet crui-  
cem.

Meriti, tamen indigni sunt, quorum gratia  
Tu in tantum commouearis. IS. At mihi satis  
Supplicij id habeam, dum illos vlciscar modò.

CH. At fungi sunt: & stipites, & caudices:  
Nec digni, quis cum tu tantus Vir litiges.  
Ego seruus sum: Sed omnem ipsorum gratiam,  
Non redimerem mihi vnicò teruncio.

Generoꝝ



Generosus equus non curat latratus canum?

Sic est. CH. Quin tu ergo hos negligis, & te respicis? IS.

Nam tute tua virtute diues es satis:

Vt patrijs istis non indigeas bonis.

Agro rum tibi aliquot centena iugera:

Ouum, bouum, caprarum mille sunt greges.

Præterea hæc terra omnis, ab Hauila vsq; ad Sur  
ferè.

Et fines Ægypti, imperio subest tuo.

Quid adhuc patrem vel fratrem importunum times?

Quid nequam Eleasarum? Quos vlciscendi erit

Alia occasio? quin potius nunc genio tuo

Indulges: atq; hanc sollicitudinem amoues?

Ac vino te reficis? Quid enim profunt opes,

Si illarum vsus de medio vitæ tollitur?

Rectè & depol mones, Chame: & certè mihi

Nunc eadem est tecum sententia. CH. Quin imperas

Igitur seruis, vt cœnam nobis apparent

Venaticam, cum hodie tot captæ sint feræ?

Ita faciam. Heus pueri, cœnam instruite mihi,

Mensas locate intus: Tu, Sannio, tergora

Ceruis deripias: tu, Cylinder, disseces

Infrusta, & verubus affigas: CH. At ego iam, here,

Congrum in aqua ludentem intus desquamauero.

Imò aliud te volo: cuius penè fueram

Oblitus. CH. si quid vis, manda effectum dabo.

E ij

IS.



- IS. In arcem transcursu opus est. CH. Cui homini? IS. tibi.  
 CH. In arcem? quid eo? IS. Gastrodem illic hospitem  
 Babylonium, qui heri huc est vectus, conueni.  
 Nam vir bonus est, et perfacetus. Promoue.  
 CH. Quid vis dicam, Ismahel? An conueniam modò?  
 IS. Dic nobis in cœna hospes sit. Nam semper is  
 Aliquid noui apportat, quoties huc aduenit.  
 Vola. CH. At non noui hominem. IS. Faciam ergò ut  
 noueris.  
 Homo ventriosus, rufus, inflatus genas,  
 Crispus, crassus, dentes lupinus, cæsius.  
 CH. Sat habeo. IS. curre curriculo. Nos interim  
 Hic expectabimus: ne absitis longius.  
 Memor ero. IS. Vos agricole me hic ante ostium  
 CH. Operimini, dum redeam. Ne amoueatis hinc  
 Pedem longius, ut cum opera uestra opus mihi  
 fuerit, ne sitis, pro uestro more, in mora.

## ACTVS III. SCENA III.

ELEASARVS, BATHVEL, LABANVS,  
 MULIER, CARIO.

Trochaici  
 Tetrame-  
 tri Cata-  
 lecti.

**A** Edepol te laudo, Rebecca, et fortunatam iudico:  
 Id cum studuisti, formæ mores ut consimiles fo-  
 rent.  
 Minimeq; ita me DEVS amet, miror, si te quisq; ex-  
 petat.

NAM



Nam mihi quale ingenium haberes, fuit indicio oratio.  
Et cū n̄ egomet tuam mecum in animo vitam consi-  
dero,

Omniūq; vestrum, vna qui hic assidetis hospites:

Et vos esse istius modi, atq; hanc talem esse haud mi-  
rabile est.

Elcasare, vt hi sunt hominum mores, atq; isthac tem-  
pora,

Expedit profectō nobis esse bonis: quanquam haud ita  
Sumus, vt tu nos prædicas, dum nimium tribuis. EL.

Bathuel,

Ego non didici assentari, aut homines in os laudare:  
clām

Deinde subsannare, mordere & dentibus arrodere,

Vt nunc moris est. BA. Noui tuum animum: neq; eō  
proloquor

Hec vt tu forsā accipis. EL. Imō accipio in partem  
optimam.

Et vt eloquor, ita & sentio. BA. Recte hæc habent:  
Sed id mihi

Nondum animo excidit, modō quod dixeras. EL. De  
heri mei

Filio? BA. Sic. EL. Vtinam is cum patre præsens af-  
foret. BA. Hoc idem

Sane omnes velimus. sed frustra exoptantur talia,

Quorum nemo compos reddier potest. Sed sic puto,

Te dixisse, Elcasare, Abrahamum herum tuum senem.



Cognatum meum, quondam fuisse tentatum à Deo,  
 Ut suum, quem habebat vnicum, immolaret filium  
 Isacum, iubente sic Deo. EL. dictum ac factum puta.

BA. Proh Deum, quid audio? EL. Rem prodigij plenam.

BA. Ædepol.

EL. Nam quid ægrius potuisset euenire homini seni,  
 Annum ætatis egresso centesimum, si conmemini,  
 Ac decimum quintum, quàm filio orbari vnico? BA.

Est ita,

Ut dicis. EL. Quid tristius, quam talem amittere filiū,  
 In quo nominis decus atq; memoriæ omnis, domusq;  
 heri

Inclinata recumbebat? BA. Profecto haud quicquam  
 tristius.

EL. Imò, in cuius posteritate gentes omnes omnium  
 Terrarum beandæ erant: à cuius semine totius  
 Mundi pendebat salus: quid, obsecro, molestius,  
 Quàm tali puero orbari? BA. Nihil profecto, Elea-  
 sare.

EL. Quid miserius, quàm morte orbari violenta? quid  
 magis

Durum aut atrox sit, quàm fieri carnificem nati sui,  
 Et patrias manus aspergi occisi sanguine filij?

BA. Exhorresco certè hæc audiens. Sed vtrum ille? EL.

Quid? BA. Deo

(duxerat)

Morem voluit gerere? EL. Imò, qui rem iam eò per-  
 V manum exereret stricto ense intrepidus, iugulans  
 filij

Vers



Verberaturus. BA. Eheu. EL. Quam graui putas  
tum animum illius

Perculsum fuisse ariete? BA. Næ grauiſſimo: nam ego  
Nunquam, vt hoc facerem, potuiſſem animum pater-

num inducere.

Credo. Sed indubia in Deum quid, obsecro, non audet EL:  
fides?

Hac qui nititur, ei nihil est difficile, nihil arduum.

Intelligo, sed nondū tamē audiui quomodō nam Isaac BA:

Sit præſeruatus, ne tam tristi occubuerit funere.

Ego dicam, ausculta, Deus, perſpecta hac Abrahæ fide. EL:

Et voluntate animi comprobata, arietem subdidit,

Quem pro filio sibi cæderet Sic præter omnium

Spem tristissimo metu in latum commutato exitum,

Quasi ab orco patrem & natum in vitam clemener  
reddidit.

Mira narraſ. Sed comedamus interim pauillulum, BA:

Ne totum conuiuium istis colloquijs conſumere

Velle cuiquam videamur. quanquam sermones tui

Gratiores mihi sunt, quàm optima, quæ apponi que-  
unt, fercula

Sed tu, Laban, hospites cur negligis? quin tu interim

Istos hic benignè & lepidis victibus accipis? LA. Id  
quidem

Volo. Age frontem exporrige, Cario & comede &  
bibe largius.

Nam verecundari neminem apud mensam decet. CA:

Est ita

E iij

Et



Et tu quod mōnes, gratum est, quanquam opus haud fuerat: nam hercule,

Quantum ad ventris curam pertinet, nulli cedo locū,  
Nisi me pugnis vicerit. EL. Ut semper tui similis es:  
neque

Quicquam ab ingenio recedis? Bathuel, sic mores ei  
Sunt dabis veniam. BA. Mitte hoc rogare, dum nihil  
ipse agat

Deterius. Quin etiam tu comede. EL. Istuc iam facio  
quidem

BA. Comede hinc, si sapit? EL. Comedi ad placitum. BA.  
Sane oportet hanc

Tenuitatem aequi & boni consulere. EL. Sis tran-  
quillo animo.

Nam quiduis mihi sat est. BA. Oportet esse satis, quia  
Isthæc cœna est popularis: nihil apparatus, nihil da-  
pis.

EL. At tibi tanto sumptui esse, mihi molestum est. BA. Ah,  
tace.

In mala vxore atq; inimico si quid sumis, sumtus est.

In bono hospite atq; amico quaestus est, quod sumitur.

MV. Proh Deum iam tu malam rem nullam poteris dicere,  
Vxorem nisi nominares. BA. De malis sermo mihi  
est.

Tu si mala non es, nihil ad te pertinet hæc oratio.

Si malè conscia es, responde. MV. Imò bonarum de  
grege



Me esse profiteor. BA. Sis ergo tantisper, dum nemo MV!  
negat.

Imò sum & nemo negat. BA. Nisi mecum omnes  
MV. Mitte iocos: volo

Ego etiam scitari aliquid, vestra pace, ex hoc hospite. BA.

Reclè. M. Quid agit Sara? rectè habet? E. Reclissi-  
mè, quia

Nec fames, sitisue, nec morbus, nec mors metuenda ei:

Ergo iam mortua est? EL. Sic est. MV. Quando? EL. MV:  
ante annos prope quatuor.

Proh Deum, quid audio? BA. Nihil novi, nam sic EL.  
sunt omnia

Humana. modò nascimur, modò vivimus, iterum dein  
morimur:

Sicut est Deo visum, in cuius manu sunt hæc omnia:

Quanquam Abrahami vicem doleo: quod ista tam  
gravi

Et precipitata senecta uxorem suam desiderat.

Nec sane immeritò. nam vix credo (quod vestra di- EL.  
xerim

Pace) ullam vlllo seculo repertam uxorem, quæ viro

Plus in rebus omnibus obsequens fuerit, quàm isthæc  
fuit.

Vt nihil dicam interim virtutes alias plurimas.

Nihil dicam interim v. . . utes alias plurimas.

Nihil animi atq; corporis dotes innumeras: quibus eâ

Prædita atq; exculta fuit, BA. Sic est. Sed quando ita  
forstulit, E v Nobis



Nobis aequo animo ferendum est, quidquid corrigere  
est nefas.

Sed dum cedimus hos sermones, tu nihil comedis &  
bibis.

EL. Imò curavi me molliter. BA. Heus puer, mensam iube  
Tolli & noua fercula inferri. EL. profecto haud opus  
est, Bathuel.

BA. Quin tu istam orationem hinc veterem atq; anti-  
quam amoue.

Nam proletario sermone, nunc quidem hospes utere.  
Nam ij solent, quando accubere, ubi cena apposita  
est, dicere:

Quid opus fuit hoc, hospes, sumtu tanto, nostra gratia?  
Insaniusti hercle, nam hoc idem hominibus sat erat  
decem.

Quod eorum causa obsonatum est, culpant: & come-  
dunt tamen.

EL. Quin tu age, ut lubet: neq; enim decet, imperiosum  
esse in domo

Aliena. BA. Laud hoc. EL. Sed est tamen, quod ex te  
etiam libet

Querere, si licet. BA. Imò licet. EL. Viuunt ne ad-  
huc Thare & Nachor?

BA. Ambo mortui sunt antè (ni fallor) quinquennium.  
Sed Sem, Noë filius, atq; Arphaxad, item Sale, atq;  
Heber

Vitam adhuc inter mortales exigunt. EL. Quid?  
Semne adhuc

VII. 12



Viuit? BA. Imò viuit. EL. Et Arphaxad viuit? BA.  
Planissimè.

Proh Deum, quam longevi homines? Credo eos non EL.  
posse mori.

Vtinam non morexentur. nam hos doctores solos his BA.  
locis

Diluuij testes habemus & promissorum DEI.

At vbi degunt? BA In patria Armenia, haud procul EL.  
his regionibus.

Proh Deum: quanta letitia herum meum afficiam EL.  
senem,

Hec vbi ei renunciauero? BA. Nouus appositus est  
cibus.

Comedamus nunc paululum. EL. profecto comedi  
nunc satis:

Nec quidquam aliud esurio, quàm lectum. BA. Num  
dormituris?

Admodum, vt qui lassus de via. BA. Si sic lubet tibi: EL.

Non tenebo te amplius. EL. Quin ergò surgimus?  
BA. Laban

Abduc hospitem cubitum. Vos huc intro mecum ibitis.

## ACTVS IV. SCENA V.

CHAMVS, GASTRODES.

**A** Gè tu. GA. subsequor te. CH. At ocysus. GAS. Troch:  
Vt queo. CH. proh DEVM tu homo. Oclon:  
Ven. Catab



Ventriose, tuis spississimis gradibus ad insaniam  
 Me rediges. Alij ad cenam vocati ceruos cursibus  
 Vincunt: tu podagrose vincis tarditate cochleam.

Ga. Sat citò, qui sat benè. CH. nuga, quin pergis? Ga.  
 obsecro, cur ita

Properas: Chame? Ga. obsecro, cur tu ita cessas,  
 Gastrode?

Quin cito promoues? Ga. nequeo profecto celerius.  
 CH. Quid te vetat?

Ga. Vah rogas? an non vides, quantum oneris hic mecum  
 geram?

CH. Quid nam oneris, cedo? Ga. Annos sexaginta ferme  
 et quatuor:

Tum præterea hanc fartam molem. CH. Quam mo-  
 lem? Ga. Hanc aqualiculi:

Cui ferende vix satis sunt (arbitror) decem pedes.

CH. Est sanè, vt dicis, sed quæso dic mihi, quod rogo. Ga.  
 quid rogas?

CH. Quot vini mensurarum capax censes hoc dolium?

Ga. Paucarum certe, præut olim in ætate viridi fuit.

Nam cum multa fert senectus hominibus mala, tum  
 hoc quoq;

Vt minus potare valeant decrepiti et tremuli senes,

Quàm vegeti iuuenes. CH. Vera memoras. nam i-  
 dem alijs accidit.

Sed dic, obsecro, quot capiebas, cum iuuenis adhuc fo-  
 res?

Dicam.



Dicam. CH. At verum. Ga. Verum equidem. CH.

Quæso hercle, ne falsum mihi

Dixeris. Ga. non. sed sine me prius recipere spiritum:

Nam nimium properas. CH. Sino. recipe, vt lubet.

Ga. Olim cum iuuenis

Essem, & adhuc etate integra: singulis conuiujs

Mensuras capiebam. CH. quot? dic obsecro. CA. Ad  
minimum decem.

Annon fiebas inde ebrius? Ga. Minimè. CH. nec po=  
plite, CH.

Aut pedibus titubabas? GA. Neutiquam. CH. Sed

neq; blasos sonos

Proferebas? Ga. Nullos. sed eram tum multo disertior

Et facundior. CH. Quid oculi? annon prospiciebant  
parum.

Aut omninò nihil, aut pleraq; gemina? Ga. Nihil ho=  
rum accidit

Vnquam: sed tum lynceo videbam fermè acutiùs.

Mirum hoc. Ga. Quin imò plerunq; abibam à men=  
sa sobrius, CH.

Nec prius, quàm ceteri omnes essent extremè ebrii.

Proh Deum, iecur tuum in iuuentute ista fuit nimis CH.

Inflammatum. GA. Sic fuit: & proinde opus, vt re=  
stinguerem.

Nam profecto non rarò accidit, vt potationibus

Etiam largioribus, ne latera quidem ab omni simul

Parte madefacerem. CH. Proh Iuppiter. Ga. Quid  
est? quid clamitas? Me.



CH. Metuo e a stor, vt tuæ cella nostra sufficiat gulæ.  
 Nam tu mihi videris interbibere, si vino scates,  
 Puteum aquæ viuentis & videntis. GA. Non est, mæ  
 Chame, vt

Hoc metuas. CH. Quamobrem? GA: Quia nunc po-  
 to longe parciū es

Nam alia vita: alia diæta. atq; vt maxime vclim, tæ-  
 men

Ætas, viriūmq; infirmitas me non sinit. nam id est,  
 Quod conquestus sum antea. CH. Quæso igitur, quan-  
 tum iam bibis,

Factus senior? GA. Vah parūm admodum. CH.  
 Quantum tamen cedo?

GA. Quantum? mensuras, Chame, proh dolor, non vltra  
 sex. CH. Eho

Num parum tibi hoc videtur? GA. næ parūm, præ  
 vt bibi

Nunc olim & profecto singulis propè annis de nu-  
 mero

Aliquid decedit, sic vt vehementer metuam, ne ad  
 duas

Mensuras redigatur, antequam octuagesimum asse-  
 quar

Annum: nam hæc ferè vnica cura est, quæ me solli-  
 citum tenet.

CH. Ah frustra equidem hæc cura te maceras. GA. Cui  
 sic? CH. Quia nunquam ad id .

As' abis



Ætatis peruenies. GA. Cur? CH. Quia vino temet  
ipse prius

Conficies. GA. Nihil minus. nam Vinum senectæ pa-  
bulum est.

Tu verò, priusquam annos ætatis attingas mee.  
Nec Baccho, aut Veneri, nec Marti, sed carnifici præ-  
da eris.

Quid ais? GA. Dixi semel: at eadem res stulto repe- CH.  
ti solet:

Tu si vis, repetam tibi. CH. Nolo. quin tu profers  
gradum

Ocyus. GA. atqui cursim eo. CH. Siquidem currunt  
& cochleæ.

Mala merxes, Chame. CH. Malitia tecum certare GA.  
miseria est.

Quin is ocyus? aut i in malam crucem. GA. nequeo  
ædepol

Ita onusto sum corpore. CH si consilium vis, faciam,  
vt leui

Sis, imò leuissimo. GA: dic. CH. i domum ac suspensæ  
de te.

Siquidē tu mecū es futurus pro vna pensilla, Chame. GA:

Nolo: alium tibi quære huius viæ comitem. GA. ne CH.  
que ego bercule

Solus hanc viam iuero. CH. Age vt lubet: duntaxat  
hanc viam

Insiste & propera. Nam herus nos expectat sub ostio.

ACTVS



## ACTVS IV. SCENA VI.

ISMAEL, GASTRODES, CHAMVS.

*Oftonarij  
Iamb.* **A** Duesperascit: demiror profecto, vbi tam diu  
Chamus  
Substiterit cum hospite. Nam penè hora abiit, dum il-  
los domi moror.

Itaq; egressus nunc sum, an fortè aduenientes alibi  
conspicer.

Atq; adeo in ipso tempore eccos ambos obuiam mihi.

Ga. Gradum contra feramus illi. IS. contra contollam gra-  
dus.

Salue Gastrodes. Ga. Salue optime, vt es optimus, mi-  
here Ismaël.

IS. Dij te ament. sed vnde tam tardè? Ga. ex arce. IS.  
Quid ibi tam diu?

Ga. Aures pau. IS. Quas aures? Ga. curiosorum homi-  
num. IS. Qui namij?

Ga. Qui omnia scire volunt. nam dum illic sedeo, omnes  
me adeunt, copulant

Dextras, salutant, assident mihi, rogant, ecquid noui  
Veram huc ex Vtopia & Stygia. dum singulis re-  
spondeo,

Abijt dies. IS. Num ergò fuisti in illis tu locis? Ga. fui  
Sanè. IS. Quando? Ga. Antemensem puto. IS. Quid  
illic egeras, cedò?

Ga. Merces inde aduexi Amrapheli hero. IS. Quid  
mercium? Aro



Aromata, quibus condiuntur esca. IS. Qualia aromata Ga:  
ta?

Polindrum, cicimandrum, cicilendrum, capsidem, an= Ga:  
thymonium,

Meacidem, cataractriam, happolopsidem. IS. Mira=

biles

Esca. Ga. Mirabiles certè. nam qui illas esitauerit,  
Is vel duce nos annos poterit viuere. CH. Est verisimile.

Nam ego tales escas nusquam credo reperiri gentium.

At vnde hæc mercimonia comparantur ab istis in= IS:  
colis?

Vnde? ex montibus altissimis, quò nulli homini adire Ga:  
pedibus

Licet. IS. Quales sunt ergo ibi homines, Gastrodæ?

GA Mirabilis.

At quomodo? Ga. Volatici. Ga. Ita dico quidem. IS!

An obsecrò vsquam sunt homines volatici? CH. Eho IS:  
num ne dubitas

Here? IS. Quid ni? CH. At etiam hic tales reperiuntur  
multi, qui sine

Pennis volant. Ga. Quosdam etiam reperi, qui nullam  
ceruicem habent.

Quid narras? Ga. Oculos in humeris. CH. Neq; hoc IS:  
mirum, quando etiam apud

Nos caustidici quidam reperiuntur, qui nullam fron=  
tem habent.

F

Et



Et oculos in manibus: tantum cernentes oculis, quantum habent

Pecunie in manu. 19. Quid ais? CH. Screavi. IS. At unde viditant

Isti volatici homines, Gastrode? Ga. Unde? è florum spiritu,

Quem naribus hauriunt. CH. Et nostri rabule ex actu bona

Pecunie, quam manibus capiunt. IS. Quid tu iterum? CH. Tussiui, here.

Ga. Imò, Ismaël, si audire vis, dicam profectò tibi aliud, Quod mirere magis. IS. Quid nam? Ga. aliqui ibi homines caninis capitibus

Reperiuntur. CH. neq; hoc mirum, nam apud nos ferè me eiusmodi

Sunt omnes mulieres. Ga. Sed & hoc valde est miserabile, Ismaël,

Quòd feminae illic non ita pariunt, vt hic. IS. Quomodo igitur?

Ga. Mares ibi fetus concipiunt in cruribus. IS. proh Iupiter.

Ga. Eòsque in lucem proditos feminae eorum hyemis tempore

In ventres abscondunt apertiles. CH. At ego te furacifer,

Credo à scrofa conceptum, & postea demum, vbi lucē aspexeris.



In pellem asini fuisse absconditum. IS. Quo abis,  
Chame? CH. Praesto sum.

Quid pulices dicam? IS. Quales, obsecro, sunt istis GA.  
in locis?

Tanti sunt, Ismaël, vnus vt aequet elephantos duo GA.  
decim.

At te Iupiter, omnesq; Dij perdant cum pulicibus tuis: CH.  
Cu nq; tuis istis omnibus mendacijs. GA. Quid vultu-  
res?

Cuiusmodi sunt hi? GA. Mirabiles, nam horum ple- IS.  
riq; sunt

Tribus nixi capitibus, et alis multo aucti maioribus,  
Quam est velum onerariae nauis. CH. Iam non con-  
tineo me amplius,

Quin sibilem. GA. Siccine agis Chame? quæso hercle  
Ismaël, potin hic est

Tacere, dum meum sermonem absoluam? CH. quis est  
egone? optimè.

Verum heus tu, lege hac tibi meam adstringo fidem: si  
vera sunt,

Quæ memoras: taceo. sin falsum aut fictum est: con-  
tinuo sibilo.

Proin facere si vis, vera dicito. GA. Vidi etiam ibi  
Puteum quendam mirabilem. IS. qualem puteum? dic  
obsecro.

Si quis in eius fundum semel tantum descenderit: au- GA.  
dies



Protinus omnia, ubiq; geruntur in orbe. CH. Ita est.  
nam ego

Similem vidi. Ga. Si quis eidem mox speculum im-  
ponat desuper,

Ille omnes gentes, omnia oppida aspiciet. CH. Veris-  
simile est.

Pot. st taceri hoc IS. Quo verò potu isti homines vi-  
solent?

Ga. Potus ferè omnium est expressus in scyphum aër. IS.  
Quomodo?

Ga. Miro modo. CH. Potest & hoc credi. nam quales ibi  
homines,

Talis quoq; est potus hominum. IS. Sed quibus vi-  
tur vestibus?

Ga. Vestes nobilium sunt molles & vitreae. CH. ss. Ga.  
Quid sibilas?

CH. Quomodo sunt molles & vitreae? annon ibi prædu-  
rum aëque est vitrum,

Vt hi? Ga. Minimè. Tu si non credis: illò rem ex-  
ploratum abi.

CH. Credam tibi potius, quàm eam. Ga. Quin & merca-  
tores ibi

Reperiuntur, qui hybernam colligunt nivem, eamq;  
domi ad focum

Arefaciunt: arefactam pro saccharo vendunt. CH. ss.  
chem.

Ga. Quid sibilas? CH. Quia non possum istis tot nugis  
fidem dare. Atquis



Atqui hæc bona fide recito. CH. Tua bona, haud mea. Ga.

Ga. Mea

Inquam fide. CH. Scio: nam Gastrodis alia est, alia est  
Chami

Fides. Sed hoc velim, Gastrodes te mihi clarè eloqui.

Quod te rogabo. Ga. Si quid vis, roga: quod scibo,  
celitus

Responsum dicito. CH. Quot annos vixisti Sycolae  
tronidae?

Viginti. CH. Quot in Vtopia? Ga. totidem. CH. Ga:

Quot in Asia? Ga. Undecim.

Quot in Elysijs? Ga. triginta. CH. quo anno ætatis CH:  
primum è patria

Egressus es? Ga. Vicessimo. CH. Quanta ista anno-  
rum summa erit?

Sexaginta quatuor. CH. Ita certè: rationem tenes Ga:  
probè.

Atqui tantum esse oportet, neq; enim plures sum na- Ga:  
tus. CH. Probè.

Nosti proverbum? Ga. Quod nam? CH. Mendacem  
debet esse memorem.

Noui. CH. Scitè igitur tu memor es. IS. Satis histo- Ga:  
riarum est. GA. admodum.

Eamus ergò intrò, quia potare mihi tecum collubet. IS.

Lubet adepol & mihi tecum: nam quod tibi, idem & Ga:  
mihi lubet.

Eamus ergò, atq; accumbamus, quoniam dudum tem- IS.  
pus est.

F iij

Vos



Vos rustici nunc ite domum: reuocabo vos in crastinum.

Sed non ad prandium, neq; ad coenam, ne erretis forsitan.

## ACTVS V. SCENA I.

ELEASARVS, CARIO.

*Senarij.* **H**Oc serui officium frugi atq; boni est, facere, quod  
 Ego persequor. Nam qui seruus seruire hero  
 Bene postulat, illum multa in pectore suo  
 Prudenter collocare oportet, quæ suo  
 Placere hero presenti atq; absenti censeat.  
 Non somnolentus sit, non vecors, non piger:  
 Aut si dormit, ita dormiat, seruum ut simul  
 Se cogitet: & se officio exuscitet suo.  
 Ego certè, dum heri studeo negotijs,  
 Somnum vix capio oculis, ita mecum gaudeo,  
 Quòd omnia tam prosperè heri euenerunt mihi.  
 Quare domum maturandum nunc censeo:  
 Neque pigritiæ, aut somno multum hic dandum loci:  
 Sed vbi serui? cur nemo adhuc prodit? vbi nunc  
 Illos perquiram in his tenebris? Heus Sofia:  
 Cario tangón hic ostium? pulsabo. vbi  
 Estis vos? heus, vbi estis vos? ecquis aperit?

Quis



Quis tam grauius pepulit fores? EL. Hem Cario CA.

Expergiscere: vigila. CA. vigilo. EL. Surge ocyus.

Quid vis tam mane? EL. Surge, camelos instruc, CA.

Vt, cum opus illis fuerit, parati sint via.

Curabitur. ELEA. At probe. CA. Fiet. ELEA. CA.

Satin hoc tibi

Mandatum? CA. Satis. ELEA. Operam quæso da, ne  
pigrum

Te, aut oscitantem inueniam. CA. Ne dubites, here.

Ego hinc eo, reuersurus iam statim. CA. Abijt EL.

Hic. Proh Deum, quid homini in mentem venit, vt

Tam subito velit ex hoc per commodo loco

Recedere? Equidem si me quicquam penes in hac

Re esset, ego mensam adhuc durare velim integrum

Adeo lauto sumus excepti heri conuiuio.

Sed quid agam, nisi quod iussus sum? Mos est hero

Gerendus. Ateo, cum domum rediuero,

Alto Vterno has compensabo vigilas.

## ACTVS V. SCENA II.

BATHVEL, ELEASARVS, MVLIER,

LABANVS, REBECCA.

**C**vr obsecro, tam manè, hospes? An etiam hac  
nocte commode

Dormiisti? EL. Sic satis, BA. cur igitur non requie-

ueras

F iij

Paus



- Paululum diutius? EL. Non otium est, nihil hic loci  
Segnitiae, aut socordiae. BA. Non est segnities, debitam  
Operam dare somno. EL. Est ita, sed nimis homo ni-  
hili est, qui piger  
Est: nimisq; id genus ego malè odi. Vigilare condecet  
Hominem, qui sua vult conficere officia tempori.  
Haud enim  
Illum oportet expectare, dum tandem se herus ad suum  
Suscitet officium. Nam qui libenter dormiunt, sine  
Lucro & cum malo quiescunt. BA. Sic est, ut dicis.  
Tamen  
Hoc velim interim quoq; cogites: frustra hominem in  
somnia  
Semet excruciare, ubi non opus est. Quid enim cau-  
se erat,  
Cur tam manè surgeres? EL. Rogas? qui tanto tem-  
pore  
Nunc domo absum: & quem domi summa aviditate  
abhero Isaco  
Expectarier scio, quomodo ociosus sterterem?  
Quid somnus prodest negotioso? manè negotium.  
Si quod agere coeperis, totum deinde procedit diem.  
BA. Quid tu ergo in animo habes? EL. Proficisci. BA.  
Hodie? EL. Sic. MV. Hui tam citò?  
EL. Sic mea est sententia. BA. At hospitium hic habebis  
quamdiu  
Volueris: neque ullius sumtus me poenitet. EL. Hoc  
scio. Et



Et reipsa expertus id loquor. Sed mea iam non feres  
 Occasio, mi hospes, diutius hic ut frustra commorer,  
 Et molestus sim tibi. BA. Molestus mihi? nihil minus,  
 Et si nobiscum mancas per mensem deinceps integrū.  
 Utinam possem. BA. Quid vetat? EL. Tempus pro-

fecto est, ut domum

Redeam, quando bene successit hoc negotium. Proin  
 Dimittite me, ut vadam ad herum meum. MV. Ad  
 maneat mea filia.

Per decem saltem dies adhuc nobiscum. Postea  
 ibis, quò voles. EL. Nihil longū fuerit tempus moræ.

At mihi nimis breue opinor. LA. Non iniquum po-

stulat

Mater. Quid decem dies incommodem? quin annuis?

Quæso ne retardetis me, quando Deus viam meam

Prosperè direxit. Dimittite me, ut ad dominum meū

Redeam. BA. Si tam pertinaci, et obstinato es pectore,

Age vocemus filiam, ut videas, num hodie tecū velit

Hinc abire. Laban, i, voca eam. Nam neutra in re  
 tibi

Difficultas à nobis erit: tibi despondimus:

Tibi desponsatam trademus arbitrati nunc tuo.

Habeo vobis gratias, et ne seratis agrius

Festinationem hanc nostram, summis precibus vos  
 rogo.

Sed venit Rebecca. BA. Rebecca? RE. Quid me vis?  
 pater optime?

E V

Scin



**BA.** Scin heri te à nobis desponsatam esse filio Abrahæ,  
Cognati nostri Isaco? **RE.** Scio. **BA.** Et te consensisse  
mibi?

**RE.** Noui factum mi pater. **BA.** Vin tu ergo cum hoc viro  
hospite  
Proficisci hodie in Chanaam. **RE.** Volo, nisi quid in  
vobis moræ est.

**BA.** Prorsum nihil, filia. **MV.** Num ergò tu ibis cum illo?  
**REB** ibo adepol. (diu

Cur enim nulla obstante mora rem bene transactam  
Differam? **BA.** Laudo. Tu coniux, vt nunc factu opus  
est rei huic,

Deboram illi comitem adiunge: cæterisque rebus eam  
Ad iter instrue: vt cum abire volent, ne sitis in mora.  
Nam noui mulierum ego mores: dum moliuntur, &  
Percomuntur, annus est. Sed quo tu abis, Eleasare?

**EL.** Famulis quod prius dicam, habeo. Continuò hîc adero.

**BA.** Probus

Hic est seruus, & frugi, cui herus in tantam curæ est  
suus,

Vt vix quenquã illi similem reperirier posse arbitrer.

**LA.** Neque ego in vita vnquam mea fideliorom repperi:  
Cui negotia herilia plus curæ sint. **BA.** Sanè non pa-  
rum

Iraseor mihi, quod sinistram opinionem in pectore  
Susplicaci perperam de illo primum conceperim.

**RE.** Quamquam satius est interdũ suspectos habere bonos,

Quam



Quam malis & sceleratis hominibus nimium credere. **EL.**

Dissolui ocyus me: & quia nunc omnia exegi, quae **EL.**  
erant

Exigenda mihi: neque quicquam restat, nisi summum  
ut vale

Tibi dicam: Proin optime Bathuel, tibi nunc & tuae

Vxori, atque adeo toti familiae gratias ago

Atque habeo summas, & immortales: tum quod herum  
meum

Vestra affinitate dignum iudicastis: tum insuper

Quod me erga & meos benigni, & hospitales admodum

Vos omnes fuistis. Pro quibus beneficijs gratias

Ut vobis Deus dignas rependat: toto animo precor.

Gratum est quod mihi precaris, mi Eleasare: & rogo **BA.**

Ut voluntatem hanc nostram tenuem boni & equi  
consulas:

Atque heris tuis salutem dicas nostrum nomine

Omnium. **EL.** Faciam lubens, & ipsorum tibi vice

Gratiam habeo. **BA.** Sed quid dotis hero afferet tuo  
mea

Filia? namque honeste fieri non potest, ut eam sine

Dote perpetiar transire in matrimonium. **EL.** Neque

Volo, nec postulo, nec censeo. **BA.** Sed non erit mihi

Probrio, filiam sine dote nuptum collocare? **EL.** Non.

Quamobrem? **EL.** quia dotem affert pulcherrimam. **BA.**

**BA.** At nondum est ei

Numera



Numerata. EL. Imò habet. BA. Quam nam? EL. Pro  
dicitiam, Dei metum,

Et parentum amorem, & cognatum concordiam, opti-  
mas

Ac pulcherrimas dotes. BA. Vin ergo tu istis dotibus  
Esse contentus? EL. Planissimè, modò properè adfiet.  
Ut maturo herum reditu exhilarem: nouumq; gaudiū  
Inopinanti primus obijciam. Sed veniunt. Sofia

Adduce huc camelos, ut meum conscendam: Postea  
Feminis opem fer subsidiariam. RE. Pater optime  
Bathuël, quibus verbis abitura gratias tibi agam  
Pro paternis in me atq; innumeris beneficijs? Faxit is  
A quo proficiscuntur, in vita mortalium, omnia

Commoda, ut diu viuas cum matre saluus, & integer,  
Et sine noxa incolumis. BA. Bene vale, mea tu opti-  
ma filia.

Bene vertat Deus, quod ages: sisq; decem in millia  
millium:

Et semen tuum obsideat tuorum portas hostium.

RE. Vale mater mea. Plura non queo. MV. Vale filia op-  
tima.

Heu nequeo, quin lacrymem. BA. Fer equo animo.  
MV. Vltimus dies

RE. Hic profecto illuxit: quo meam aspicio Rebecculam.  
Ne steas, mater: Nam quod Deus iubet, id nunquam  
malè

Succedit. Sed & tu, frater valeas, Laban charissime.  
Soror



FRISCHLINI.

93

Soror es nostra: vale soror optima. sis in millia milia. LA.  
lium,

Et semen tuum obsideat tuorum portas hostium.

Ancille & serui omnes bene valete, beneq; viuite.

RE.

Bene queso inter vos dicatis & mihi, absenti tamen.

Iamne imus? RE. Maxime quia nihil restat morae.

EL.

ACTVS V. SCENA III.

SYRVS, LABRAX.

Q uomodo tu istuc dixisti, Labrax, Ismaëlem non Octonarij  
stro hero

Minatum, nescio quid mali? LA. Dictum ac factum  
puta, Syre.

Et iam patri suo maledixisse? LA. Admodum: ut qui SY.  
plumbeum

Eum, ficulneum, betaceum, delirum dixerit.

O hominem audacem, & improbum. Ut nusquam LA.  
dissimilis est sui.

Sed aiebas etiam inter illos agitatum conuiuium.

Quid ni agitatum? cum tot fuerint vocati ad cenam  
illam hospites.

Qui nam hospites? LA. Rogas? Parasitus quispiam, SY.  
de illo grege

Precipuus. SY. Quinam? LA. Dicam tibi in aurem.

SY. Iste ne? LA. Sic, ipsissimus.

ES



SY. Est verisimile. nam noui hominis ingenium, cibum is solet

E flamma petere: atq; adeo summum hoc censet in vita bonum,

Aliena quadra viuere. Sed nulli præterea? LA. Imo Chamus

Alium quoque secum adduxerat. SY. Quemnam? LA. Babylonium hospitem

Gastroden. SY. Cedò, quid istud hominis est? LA. Non nosti hominem Syre?

SY. Non Sanè. LA. Ventriosus est homo, malis prætura gidis:

Aliquantum rufulus, crassus, dentes lupinos squalidus: Trunculentis oculis: homo pol nugacissimus. SY. Dignum hercule

Patella operculum. LA. An non omnia bene inter se congruunt?

SY. Apparet. nam vetus, vulgatumq; est adagium, labra similes habere lactucas. LA. ita est. SY. Sed humeri quomodo

Tui habent? LA. Quomodo, nisi miserè? nam pugnisme miserum Chamus

Penè occidit, vide vt labrum discidit. SY. Ego certè durius

Haud vnquam vapulaui ante hac. LA. Neque ego, sed vnum mihi Syre

Doluit præcipuè. SY. Quid nam? LA. Quod mihi non referire licuit.

Quæso



## FRISCHLINI.

95

Quæso hercule Labrax: si tibi potestas in istorum ho- SY.  
minum gregem

Daretur: quid ageres cum illis? LA. Exemplum ut  
essent omnibus,

Probè curarem. SY. Quomodo mi Labrax? LA. Rur-  
hinc abstraherem eos:

Atq; ibi stiuae admouerè & vomeri: fumi atq; pollinis  
Coquendo pleni sint faxim, & molendo: tum etiam  
præter hæc

Meridie ipso facerem, ut stipulam colligant: tam de-  
niq;

Excoctos redderem atq; atros, quàm carbo est. Atq;  
utinam mihi

Hic aliquis ex illorū grege detur nunc obuiam: meam  
In quem iram omnem euomam, dum hæc ægritudo  
recens est. SY. st, tace.

Quid est? SYR. Procedit huc venator quispiam, LA.  
viden? LA. Vbi?

In angiportu illo nescio quid solus secum murmurat. SY!

Mihi videtur adhuc ebrius ex hesterno conuiuio.

Nam membra ei titubant. SY. Obseruemus hominem,  
quam rem gerat.

## ACTVS V. SCENA III.

CHAMVS, LABRAX, SYRVS.

**A** Tat, data hercule à Gastrode Verba sunt Senarij  
Mibi



Mihi: nimis me heri bibisse sentio.

Vicit Gastrodes: vicit v. num, quod bibi.

At dum accubabam, cyathis Gastrode prior

Potiorq; futurus, esse videbar, nam minus

Certè senem credebam cape'e, quàm virum

Valentem, industrium, indefessum, strenuum.

**LA.** Audin quæ loquitur carnis ex? satin tibi

Videtur magn. ficus? **SY.** Imò etiam maleficus.

Sed tace, & hanc rem gere. **CH.** Verum postquam

homo me sibi

Parem esse vidit: protinus ingentem arripit

Cantharum. eumq; madidum vino longè optimo,

Mihi præbuit, exhaurit: rursus opplet, dat mihi.

Hunc cantharum oportuit me binis haustibus

Vacuare: vsq; lacrymæ dum profluerem mihi.

**LA.** Disciplinam vide Venaticam. **SY.** Ab tace.

**CH.** Ego, ne pro tanto beneficio ingratus seni

Homini videar, vicissim illi alium cantharum

Propino, respondet mihi fideliter.

Mox, propter commodam valetudinem heri

Mei, propinat insuper alterum mihi.

**LA.** Qui istic novus mos est, Syre? **SY.** Nescis tu. **LA.**  
brax?

**LA.** Nescio me hercle. **SY.** Sic solent nunc aulici.

Superis litare pro valetudine bona

Suorum principum: hæc vota illorum: hæc preces.

Sed



Sed auscultemus exitum conuiuij.

Vbi etiam istum vacuavi cantharum: mihi

CH.

Adhuc videbar. sobrius at cum surgerem:

Ecce neq; lingua, neq; pes officium suum

Faciebat. Quare in lectulum me conferens

Destertui in multam lucem. SY. Exemplum vides

Isti, dum sanitati principum student,

In morbos incidunt, podagram, cheragram, hydro-

pen,

Dolorem colicum, & similes febres. LA. Deus

Bone, an non satius fuerat esse sobrium?

Et sobrium posse inservire principi,

Suumq; munus administrare: quàm pigro

Affixum lecto, nec sibi prodesse, nec alij.

Hodie, cum primum è somnis expergiscerer,

CH.

Capitis tantam sensi grauedinem, vt mihi

In cerebrum migrasse cyclopas iurauerim,

Qui feriant illud alternatis ictibus.

Istos cyclopas citius experiere, quàm

LA.

Voles. CH. Sed neq; dum omnem edormiui crapulam.

Quod reliquum vini est, nos discutiemus probè.

LA.

Nam oculi profectò mihi adhuc prospiciunt parum.

CH.

At ego nunc aperiam tibi his pugnis, scelus.

LA.

Itaq; huc exij, vt amoueam spaciando reliquum.

CH.

Sed qui sunt, quos aduersum me ire conspicer?

Profectò, nisi me fallunt oculi, hic Chamus est,

SY.

Qui nos heri admodum indignis habuit modis.

G

Certè



Certè ipſus eſt. CH. perij oppidò, video Syrum

SY. Et Labracem obuios. LA. Quim irruo in ipſum, Syre?

Mane hic, ego adibo. CH. Pol, niſi me fallit animus,

Haud multum à me aberit ingens infortunium.

Ita in anguſtum redigor: niſi aliquid videro.

Quid agam? Quid comminſcar? ineunda ratio eſt.

Quid ſi hinc auſugiam? non queo. quid ſi ſic agam?

Tantundem, at ſic opinor, fieri non poteſt.

Euge: ſimulabo, quaſi eos nunquam viderim.

SY. Hem opportunè. te ipſum quaerito. CH. Quid eſt?

SY. Rogas, flagitium hominis, nequam, ac minimi preci.

Qui modo nuſquam loci comparebas mihi:

Nunc cum repente compares, peris. CH. quid hoc?

Adoleſcens quid tibi mecum negotij:

Qui mihi maledicas, homini ignoto inſciens?

SY. Quid ais? ignoto inſciens? quaſi non noueris?

CH. Non ædepol ego te, quod ſciam vnquam antehac

Vidi, neq; noui. SY. non me noſti ſurciſer?

CH. Si norim, non negem. SY. Chame vigila. CH. alium

Me cenſes, ac ſum. SY. quem aliū? non tu Iſmaelis eſ

Parafitus? CH. qui iſtic homo? SY. qui? Praceptor

tuus,

Qui te contumelias ferre innocentibus

Docuit. CH. quem tu Iſmaelem, quas contumelias

Mihi praedicas? quem ego hominem ſanè nullius

Coloris noui. SY. Dij te eradiceſt ſcelus:

Quem hæc dicere non pudet. CH. equidem vera me

moro.

Mentiris



SY.

Mentiris nebulo, qui tibi ignotum me ais.

Sed ut ut sit: tu si me non nosti, noui ego

Te. CH. at Unde? rogas scelestus? qui me hodie modo

Et Labracem nostrum deuerberaueris:

Et agricolas heri mei in venationibus

Penè ad necem tractaueris. CH. factum nego.

At ego aio. Accede Labrax, nostim hunc verbero?

SY.

Dij deæq; &amp; te, &amp; hunc malè crucient. SY. Ehem

CH.

Nunquid nobis etiam maledicis? Irrue

In ipsum Labrax: &amp; iam par pari refer.

Iamdudum gestiebam mihi dari obuiam

LA.

Hunc nequam, ut illatam vlciscerer iniuriam.

Quin irruis ergò? quin feris? LA. Ita faciam.

SY.

Hem tibi bipedum nequissime vapula, hem tibi,

Hem sic datur, si quis insontes laeserit.

Vis hæc equidem est. SY. quin inuolas illi in oculos?

CH.

Rape, tunde, verbera, trahere, desige colaphis

In terram. CH. quæ te mala crux agitat? quid tibi

Mecum commercij? LA. Si nihil commercij

Dudum fuisset: iam non miserè vapules.

Sed ecce commodum huc recipit Sangario.

SY.

Doleo me non habere lapidem, ut eo tibi

CH.

Cerebrum excutiam. SY. minaris? Heus Sangario ades

Iuuua hunc, constringite quadrupedem: discindite.

Elidam tibi oculos, ut sæpijs coqui

CH.

Si me attingas scelestus. LA. at ego te furcifer

Proripiam nunc pedibus, quasi occisam suem.

G ij

Sane



Sangario quid cessas? Iuua me. CH. obsecro vos.

LA. Nequicquam hercle obsecras. SY. Labrax feri, feri.

LA. Ferio. SY. at multum: rapite sublimem. CH. Obsecro vos.

SY. Facite inter terram atq; cælum, vt medius fiet.

CH. Heu, Heu mihi. LA. quid clamitas. CH. Heu, heu mihi.

LA. Frustra iam clamitas. Sangario, rape, trahere.

CH. Vis hæc quidem hercle est, & trahi, & tundi simul.

SY. Iura te nociturum esse hac de re nemini:

Quod tu hodie verberatus es à nobis Chame,

Si saluum te mittimus hinc. CH. Iurabo vt lubet.

Præi verbis. SY. Diana te testor mihi:

Si cui noceam illorum, à quibus meritò hodie

Sum verberatus, tunc ego oculos meos

Amittam. Sic inquitto Chame, & me tangito.

CH. Tunc ego oculos meos amittam, per Iouem.

LA. Si fraudasses, dicito, vt te in sylua Pharan

Leones & lupi dilanient dentibus.

Tecum hoc habeto, tamen vbi iuraueris.

SY. Nunc finite, i, in malam rem. CH. ibi sum quidem:

SY. imò eris:

Si posthac te prehendero. CH. cauebo istuc satis

Ne huc redeam. SY. Si sapis. Nam ita te ornatum  
probè

Hinc amittemus: vt te ipsum non noueris:

Sed herus egreditur, ite intrò: ne fortè nos

Hic otiosos astitisse sentiat.

Pro



Profecto pessimus hic mihi illuxit dies:  
 Cui, si liceat, oculos effodiam lubens.  
 Sed erit, ubi hos nebulones ulciscar probe:  
 Neque enim sol omnium dierum hic occidit.  
 Nunc eo domum: ut hanc rem hero meo renunciem.

CH.

## ACTVS V. SCENA V.

ISACVS, ABRAHAMVS.

Satis ne diu pater domi desedimus:  
 Eleasari expectantes reditum? AB. haud dum satis  
 Isace. IS. qui sic? AB. nam alias nunc redisset do-  
 mum.

Est hoc quidem verum: attamen absentia IS.

Huius morae perquam mihi molesta. est. AB. cur ita?

Rogas? Profecto nunquam ille antehac absuit IS.

Domo diutius: atque adeo toto mihi

Anno nunc abfuisse videtur. AB. bono animo es.

Nam spero, hic eum saluum affuturum propediem.

Optatius certe euenire hodie mihi IS.

Nihil posset: quam illum videre sospitem.

Nimis hoc me discruciat: ne quid mali

Aut aduersi nunc perpeffus sit in via

Eleasarus: neu frustra iter hoc suscepit.

Nam quia non redijt. proh Deum, quae cogito: &

Quibus sollicitor nunc rebus: ne aut ille alserit:

G iij

AUG



*Aut vsspiam ceciderit aut aliquid perfrēgerit.*

**AB.** *Ridiculus es: & frustra hæc times. IS. quī dum pater?*

**AB.** *Quia neq; hoc tibi, neq; illud sollicitudinem*

„ *Afferre debet. Est in cælis arbiter:*

„ *Hominum qui facta, mores: pietatem & fidem,*

„ *Et omnium nomina in manu signata habet.*

*Huic te confidere: in hunc te respicere volo.*

*Huius opus est connubium: hic Adæ suam*

*Euam è costa ædificatam adduxit pronubus.*

*Ab hoc petendum est foelix matrimonium.*

*Nam ab eo solo, non aliundè id proficiscitur.*

*Sine hoc duce, qui negotij quid suscipit,*

*Is operam & sumptum perdit. Quia nihil*

*Ei acceptum est: quod humano proficiscitur*

*Consilio; neq; vera fretum est fiducia.*

*Facilius, si, qui pius est, & fide bona*

*Præditus, in solum respicit mitem Deum:*

*Quàm qui simulator est, viam inueniet sibi.*

**IS.** *Ita est, pater vt dicis. sed interim tamen*

*Vitio ne mihi veritas velim: si idem mihi*

*Iam vsu veniat, quod cæteris mortalibus.*

*Vt cuius tu rei cupidinem meo*

*Animo iniecisti, eius desiderio pio*

*Tenear: præsertim coniugis optatissimæ. (pulo.*

*Nam homo sum, nec quicquam humani alienum à me*

**AB.** *Novi isthuc fili mi; neq; ego te saxeam*

*Sed*



Sed carneum genui. Verum hoc scito tamen  
 Modus omnibus in rebus remedium est optimum:  
 Nimia omnia nimium exhibent negotij:  
 Nam tu, quod absentis desiderio pio  
 Iamdudum Eleasari teneris: id probo.  
 Sed te anxium nimis esse, & sollicitum: haud probo:  
 Quid ergo faciendum pater? AB. in spe scilicet, IS.  
 Patientiaq; permanendum: & serijs  
 Apud Deum precibus instandum: ut is suo  
 Numine & iter serui, & totum negotium  
 Clementer dirigat. Quid enim nos à Deo  
 Vnquam petiuimus: cuius nos compotes  
 Non fecerit? IS. Pater. AB. quid est? IS. num ergo  
 Licet paulisper digredi. AB. quonam Isace? (mih i  
 Rus concedam. AB. Quamobrem? IS. precandi gra- IS.  
 Nam solus cum illic sum, remotis arbitris (tia. IS.  
 Ardentius precari mihi videor. AB. bene est.  
 I. quò lubet. IS. bene vale tu interim pater.  
 Ego mox adero, AB. bene ambula fili mi Isace.  
 Ego interim, dum tu ruri hinc aberis domi  
 Tantisper obsidebo, dum huc Eleasarus  
 Redeat. Nam quantum conijcio, haud procul aberit.

## ACTVS V. SCENA VI.

ISACVS.

**I**llico hinc abiit, proh Deum, quantum in misera  
 hac vita bonum

G iij

Adeptus



Adeptus est: qui sapientem à Deo sortitus est patrem:  
Veluti hic meus est. Nam nunquam illum adeo: quin  
abeam ab eo doctior.

Modò enim ad pietatem verba tam egregia fecit, tam  
commoda:

Vt commodius non potuerit, sed vtut sit, hoc certè ni-  
mis

Longum est mihi tempus: dum te careo Eleasare. Nam  
horæ terminus

Quem tibi præstitueras, dudum abiit. Nimis hæc res  
animum meum

Sollicitat: metuoq; mali ne quid eueniat tibi in via:

Quod nolim: aut aegritudo, aut remora in negotio in-  
tercesserit.

Quantoq; abes diutius: tantò magis desidero.

Magisq; cupio. Nam verissimum, vulgò quod dicier

Solet: Spes quæ differtur affligit animum: quam-  
quam scio

Eleasarum, spectatæ hominem prudentiæ, & fidei,  
nihil

Facturum negligenter: sed rem herilem, absente hero  
suo,

Tam sedulò tutaturum, quam si ipse assiet, aut rectius.

Proin Deum immortalem summis precibus oro, &  
obsecro:

Vt hoc iter illi fortunare velit. Nam humana industria

Nihil confit: vbi non est præstò diuina moderatio.

Nam



Nam sola hæc actionibus nostris, quasi quidam lucifer  
Præluceat: sola hæc præstituta à nobis dirigit: sine hac  
Negotium qui suscipit, laterem lauat. Id quod mihi  
adeò

Multis meis experimentis demonstrauit prudens pater.

Eamq; ob causam huc solus in rus concessi, vt mihi Deo  
Vota faciam, & precibus totum illi commendem negotium.

Sed quos video procul aduenire homines? nisi malè  
conspicor,

Camelis insident, & ducunt aliquot secum mulieres:  
Mirum profectò, ni clemens, & propitius mihi Deus,  
Nec opinanti obijciat improuisum aliquod gaudium.

## ACTVS V. SCENA VII.

ELEASARVS, REBECCA, ISACVS.

Cum benè re gesta saluus conuertor domum:  
Deo æterno immortales habeo gratias:

Qui solus in patriam, ex peregrinis me locis

Reducem facit: tuq; adeò herilis patria

Salue: quam nunc ego duobus mensibus

Postquam hinc in Mesopotamiam abij, video lubens:

Quis nam hic vir est, Eleasare mi, quem conspicor?

RE.

Vbi? RE. Illic in agro, qui solus deambulat.

EL.

G 2

Est



- IS. Est ne hic seruus, de quo modo agebam, Eleasarus?  
 EL. Est ne hic herus meus Isacus. RE. quem hunc nominas?  
 IS. Is est profecto. EL. eum esse autumo. RE. quis hic vir est?  
 EL. Pape, videon ego Isacum, an non? RE: quem vides?  
 EL. Herum meum. Nam hic est Isacus, huc qui obuiam venit. RE. sine defiliam ex camelo, & flammeo faciem obnubam. EL. here salue mi Eleasare. Sed quis comitatus hic? EL. apporto nuncium Cuius maximè te fieri participem cupis.  
 IS. Quod nuncium? satis ne sunt salua omnia?  
 EL. Imò omnia. Laus omnipotenti Deo: qui iter Secundauit clementi numine. IS. gaudeo.  
 EL. Atque hanc tibi virginem honestissimam omnium Quæ in terris viuunt, Bathuelis filiam, Neptem Nachor, Rebeccam, gentilem tuam Vxorem destinat, tibi desponsam à patre, Et tota familia: vt etatem tecum exigat, Et pulchra prole te letum faciat patrem.  
 IS. Quid ais? te adducere Bathuelis filiam?  
 EL. Etiam. IS. Rebeccam? EL. maximè. IS. Neptem Nachor?  
 EL. Planissimè. IS. desponsam mihi? EL. Dixi tibi.  
 IS. Tibi ne ego credam? non ludis me? EL. Cur ego Ludam? cur tu non credas? an fidem meam Vnquam expertus es, vlla in re lubricam aut malam?  
 IS. Atq; haud eò dico, quòd diffidam tibi.

Eleasare,



Eleasare, cuius in me expertus sum fidem:  
 Sed quòd vix fieri hoc posse arbitratus fui.  
 Quod tu opera perfecisti mihi tua probe.  
 Imo hoc Dei perfectum opera, num ambigis adhuc?  
 Nihil: sed ago Deo omnipotenti gratias:  
 Qui me voti mei clementer compotem  
 Fecit; teq; reducem mihi & seni patri,  
 Cum tanta letitia, & tanta spe reddidit.  
 Deinde & Bathueli, & omni familia,  
 Qui affinitatem nostram tibi non abnuvit:  
 Tum verò præsertim tibi, castissima  
 Virgo Rebecca: tuo quæ matrimonio  
 Dignum me censuisti, gratias ago:  
 Teq; accipio lubens, te complector anime  
 Mi, mea voluptas, mea spes in vita vnica:  
 Diadema vitæ meæ: oculus meus vnicus,  
 Meum solatium, quod Saræ funeri,  
 Et luctui opponam meo. Quum detegis  
 Vultum? nam te pudicam esse, minimè ambigo:  
 Faciam, quod me iubes, here mi Isace: nam tua  
 Sum: tua volo esse: tibi semper morigera ero.  
 In rebus omnibus: tibi do me, domine mi:  
 Tibi me committo: tuæ me mando fidei:  
 O fortunatum me: vt tua verba audio lubens?  
 Vt te, Rebecca mea, nunc conspicio lubens?  
 Vt præ letitia lacrimæ præsiliunt mihi.  
 Quali tu seruo tua commendaisti bona?

EL  
IS

RE

IS

EL

BONO



108 REBECCA FRISCHLINI.

IS. Bono & fideli, & fido, & cum magna fide:  
Qui tantam offers aduentu letitiam tuo:  
Tot commodas res offers: tot adimis mihi  
Curas, quæ exercuerunt me aliquot mensibus.

EL. Ego quam fideli animo in te fuerim here,  
Ex ipsa, te malo intus resciscere. IS. scio:  
Amoque & laudo, & vehementer te prædico.  
Nam te esse erga me fido ingenio, comperi:  
Tibiq; exopto, ut reliquam vitam transigas  
Nobiscum fælix, & fortunatus diu.

Nunc ite intrò: nam dudum vos expectat senex.

EL. Eamus: quando benè cessit negotium.

Scaron. Nam non est expectandum, dum exeant: intus  
Res transigetur: intus de sponsabitur.  
Quod reliquum est, id vobis exponet Cario.

CARIO, Spectatores: Poëta noster hic novus  
Daturum vobis se promittit propediem  
Novam, facetam, & haud illepidam fabulam:  
Cuius vos argumenti, nil simile vspiam  
Videritis: verum ea lege id facturum ait,  
Si vos & huic novæ sponse hymnum in nuptijs,  
Et huic etiam plausum detis Comœdiæ.

REBECCÆ COMOEDIÆ FINIS!

ELOGIA



## ELOGIA CLA

RISSIMORVM ALI-

QVOT VIRORVM DE NICO-

*demo Frischlino diuersis tempo-  
ribus edita.*

REVERENDI ET CLA-

RISSIMI VIRI M. BALTHASARI

*Bidembachij Ecclesie Stutgardianæ Præpositi:**affinis sui colendi*

## EPIGRAMMA.

**S**ALVATOR queritur, suis superbis  
 Auditoribus exprobratq; multum:  
 Nos vobis cecinisse luctuosa  
 Scitis: vos renuisse lachrimari:  
 Scitis nos cecinisse letiora

*Saltatum potuisse nec mouere.**Hoc et moribus his queri licebit:**Sic celo nihil est noui sub isto.**Thesbites rigidus sumus: Ioannes**Austerus sumus aure delicatis:**Lugubre occinimus, modum sonantes**Dirum: nec lachrymas ciemus vllas.**Tu Frischline canis modos amicos*

Et



Et letum modularis arte carmen:  
 Tu misces, pia, casta, sancta, dulci:  
 Misces vtile, suaue, cum decoro:  
 Saltetur, peragatur, exprimatur.

Ergo fabula digna iudicatur.  
 Segnes sic nisi prouocabis altum  
 Vt saltent, lapides oportet esse.  
 Ficti hæc fabula nil refert, sed acta  
 Sancta à patribus pijs maritis  
 Matronisq; pijs, auisq; CHRISTI.

Obsceni nihil hic, nihil prophani:  
 Semen fœmineum hic, caput colubri  
 Calcans, virginis illa sancta proles,  
 Iusti conspicitur fides Abrami,  
 Isaciq; fides, fides Rebecca.

Virtus conspicitur proci viriq;  
 Castæ virginis & decus locatæ.  
 Distortum ingenium, soluta vita  
 Damnatur truculenti & Ismaëlis.

Ergò vt proficias via salutis:  
 Mores vt simul approbes pudicos:  
 Vt vites vitium: bonum sequaris:  
 Sanctam, grex studiose ama Rebeccam:  
 Productam tibi comico à Poëta.  
 Nunquam te mihi crede penitebit.

Doctrinæ inuenies satis: benignum  
 Pro donis varijs DEVM vt celebres.

Certè



Certè si taceant mei poëta  
Credo, vel lapides breui loquentur.

CLARISSIMI ET ELO-  
QUENTISSIMI VIRI: HIERONYMI  
V Wolffij, Gymnasij Augustani Rectoris, ad Ni-  
codemum Frischlinum he-  
xastichon.

Ἐλαβον ᾧ Νικόδημι ἠρωίδας ἀσροθέτην τε  
ᾠρολόγον. τῆς σῆς ἔργα πολυφροσύνης,  
Ἀλλὰ σοι οἱ πλῆτῳ βεβριθότες ἐκτελέσωσι:  
παρ δ' ἡμῶν (τόγε νῦν) σοι χάρις ἐσὶ γέρας  
Ἀργαλέαι με νόσοι καὶ ἔραικον: ἅπαντα δ' ἐχρυσόν  
(εἰ τις ἔην) ἀφελον, φάρμακ', ἰητροί, ἔπος.

AD NICODEMVM FRISCH-  
linum Poëtam doctissimum.

**T**Empore quod geminas vno Frischline Rebec-  
cas

Enixus es congratulor

Ingenio, domuiq; tue: sic pergito natis

Fies breui doctissimus.

Quos tamen ingenio producis diuite foetus,

Vinaciores ceteris:

Existens



Existens, non vñq; tuum laudesq; per omnes  
Orbis sonabunt cardines.

Ioannes Posthius F.

AD NICODEMVM FRISCHLINVM.

**B**inas esse tibi ferunt Rebeccas:  
Alteram genuit tuum cerebrum,  
Alteram peperit fidelis vxor:  
Ambæ te vocitant suum parentem.  
Vno tempore das vtriq; vitam  
Nicodeme, sed imparem, minusq;  
Æqua conditione distributam  
Vt discriminis interesse multum  
Puto: quam genuit vigor cerebri  
Expers mortis erit: sed haud vacabit  
Morte, quam peperit marita natam  
Dispar si pater, aut vocari iniquus  
Nolis in geminas tuas Rebeccas:  
Immortalibus alteram aut deabus  
Fac parem, aut similem suæ sorori:  
Qui cum perpetuos vigescat annos:  
Aut si non pote, Nicodeme, saltem  
Vitam protrahe catenus morando,  
Vt pertesa moræq; temporisq;  
Mors velox diuturniore vita.

Sinat



Sinat sponte sua frui Rebeccam  
 Quam tibi peperit modesta coniunx.  
 Tantò (inquam) diuturniore, quantò  
 Est viuacior illa filiarum,  
 Vigor quam genuit tui cerebri.

Viridis Pyrgi Franconum,  
 Faciebat Melissus.

M. LEONHARDVS EN-  
 GELHART PÆDAGOGARCHA  
 Stutgardianus, M. Nicodemo Frisch-  
 lino suo amicissimo,

S. D.

SÆpius vt nosti, monui Frischline: Poëtas  
 Vt veteres nobis enucleare velis.  
 Sæpius vt nosti, monui quoque Rhetoricorum  
 Tres libros scriptos vt publicare velis.  
 Hoc quoq; VVackerus monuit, monet atque monebit:  
 Nunquam cessabit, qui bene velle scholis.  
 Quid cunctaris adhuc? nemo meliora Magistris  
 Discipulisue dabit: quæso iuuato scholas.  
 Sic tibi perpetuò flauus sit dexter Apollo:  
 Illustris nostri, quando Hymeneæ canis

H

Vtraq;



Vtraq; si uiuat tua docte poëta Rebecca,  
Scilicet ingenij corporis atq; tui.

D. M. NICODEMO FRISCH-  
lino Poëtæ clarissimo & grauissimo.

**E** Capite orta Iouis fertur, Frischline, Mineruas  
Nuper & è capite est orta Rebecca tuo,  
Tyndarin enixa est Leda, ex Ioue semen adepta:  
Tyndarin & peperit semine Leda tuo.  
Tyndarin hæc æquat facie, sed acumine mentis  
Pallada: nunc gemino es Iuppiter ipse modo.  
Alterius mater, pater alteriusq; Rebecca:  
Quarum vtraq; est operæ nata labore tuæ.  
Quiuit in hac aliquid mater, nil quiuit in illa  
Naturæq; illic, hic erat artis opus.

Christianus Egenolphus Fran-  
cofurtensis. P. L.

ÆGIDIUS PERIANDER  
de Nicodemo Frischlino in sua Ger-  
mania, Anno &c. 67.

**A**Rdua Peligni fies bene gratia Vatis,  
Optima stat iuuenis, gratia Musa tibi

Verba



Verba fluunt veluti calidis e montibus vnda,  
 Plenior ut torrens de nive prata secat.  
 Non tamen illa trahunt spinas, Per messidos vnda  
 More fluunt, surgas si modo magnus eris.

## DE EODEM,

Petrus Paganus. P. L. Vir equestris,  
 Professor Marpurgensis in quo  
 dam propemptico.

**Q**vos inter rubra pingendum censeo cera  
 Frischlinum, qui Phœbeas ita surgit in artes  
 Impiger & foelix condendi carminis autor,  
 Ut sit Germano longè notissimus orbi:  
 Quiq; nouas auidè, sed cum discrimine cautus  
 Ambit amicitias, veteres ita tractat amicos:  
 Ut nec eum veterum nec poenituisse nouorum  
 Pactorum temerè possit, quibus adde modestas  
 Ingenij dotes, mores sine felle, sine omni  
 Compositos fucco: facilesq; ad euntibus ades,  
 Quas utinam liceat Pagano visere vati:  
 Et coram vultum Frischlini atque ora tueri,  
 Certè illi multis potior res ista triumphis  
 Accideret: sed dura moram quia numina neclant:  
 Tu Beckher vatis Pagani nomine, vatem  
 Frischlinum, totamq; scholam procuresq; saluta:  
 Forsan erunt aliqui, quos hæc audire iuuabit,  
 Et quorum poteris tibi conciliare fauorem.

H ij

EIVSDEM



EIVSDEM EPISTOLA  
ad eundem.

**Q**vos mihi misisti scriptos ex tempore versus  
 Elapsis aliquot mensibus aura tulit.  
 Nam Zephyris gaudens illos signarat Aprilis:  
 At mihi cernendos Iulia stella dedit.  
 Nil tamen est seruum: quod amico corde profectum  
 Fratibus acceptum quaelibet hora facit.  
 Hoc vnum doleo, quod me nil tale merentem  
 Laudibus innumeris officijsq; grauas.  
 Nam quid cum magno mihi sit commune Marone  
 Cumq; tua vates o Venusine lyra?  
 Quis mihi suppeditet Nasonis amabile carmen?  
 Quis mihi delicias culte Tibulle tuas?  
 Has igitur laudes, vt non agnoscere possum,  
 Sic erras nimio raptus amore mei.  
 At tamen integritas tua me sic afficit, vt stem,  
 Iudicioq; cadam, sponte lubensq; tuo.  
 Et nisi nos nimis disiungeret interuallis:  
 Sapius Aonio sors inimica gregi:  
 Pirithoo semper quasi Theseus alter adesset:  
 Nec sine te mihi lux vlla quieta foret:  
 Aut saltem spacio distans breuiore locorum  
 Funderet alternos, casta Thalia iocos.  
 Aut nunc, aut raro possum tibi scribere versus:  
 Aut tibi qui portet mox abiturus, adest.

Hæc



Hec igitur de me spes sit tibi firma fidesq;  
 Quod sim, siue loquar, siue silebo, tuus.  
 Edere, si casta tentabis vincla Rebeccæ:  
 Exornata tuo quæ mihi Marte placent,  
 Adijciam carmen, quod iam cum mittere tempus  
 Non sinat, accipies, dulcis amice, breui.  
 Interea repetit vestros pia sponsa penates  
 In medio rursus digna salire foro.  
 Aut vulgata typis totum volitare per orbem,  
 Exemplum sponsis suaue futura pijs.  
 Est eadem nobis etiam cantata Rebecca  
 Principe Guilielmo ius subeunte thori.  
 Quam quoq; materno conscriptam idiomate, coram  
 Principibus lusit Martis in arce chorus.  
 Hanc tibi misissem sed Catta voce loquentem:  
 Ausoniae dominas gentis adire pudet.  
 Nomine Germani vulgatam fortè videbis  
 Fratris: is hæredem namq; laboris agel.  
 Interea valeas cum casta coniuge foelix:  
 Defendatq; tuam cælica dextra domum.  
 Et tecum valeat venerandus Snepsius heros,  
 Quem Christi sequitur sponsa pudica ducens.  
 Luneburgenses, fidei quoq; credita vestræ  
 Turba, Deum iuuenes Pieridasq; colant:  
 Ut fructus aliquando domum cum foenore portent,  
 Deniq; totius floreat ordo scholæ.

H ij

Hoc



Hoc petit ex animo, *Pagana Camoena*, suoq;  
Frischlino d. fert omnia iura, Vale.

**IN CARMEN EIVSDEM**  
Trilingue Ioannis Lauterbachij  
P. L. Viri equestris.

**O** Te felicem Frischline diserte poëtam  
Quem donis nimium fuit Apollo suis.  
Non tantum pleno te dicent ore Quirites:  
Sed quidquid Solymus, Græcus & omnis habet.

**IN EVNDEM IOCVS**  
Pauli Melissi. P. L. Viri equestris  
ex Calliope Schediasmatum.

**T**e poterant oris promissæ petorrita Francis,  
Vel sonipes, patriæ vel celer amnis aque:  
Cur pedes aduentas: Vegetum Frischline poëtam  
Nunquam desituunt per iuga sacra pedes.

**DE EODEM,**  
Salutante Poëtas Nicolaus Rüdinger  
rus Pisouernas.

**C**andet amor, candet Phœbus, Dea candet amor  
ris,  
Candet in Aonijs turba nouena iugis:



Et Charitum candet trias indiuisi, sororum,  
 In liquidis Vatum candet & ales aquis.  
 Candidus hinc horum Vat: s Frischlinus alumnus,  
 Candidula Vatum corda salute beat.

## DE EODEM,

Georgius Calaminus Silesius in vita  
 Guintheri Andernaci.

O pomposa olim nobis si buccina cantus  
 Ederet, ut grandi cantans quatit ore Tubingans  
 Frischlinus, quem sic hilaris lasciuia mentis,  
 Festiuusq; lepos vocat: & quod in arte Poetas  
 iam natos vincat, Nicodemum nomine signat.

## DE EODEM,

Iosias Simlerus Tigurinus in Bibliotheca Conradi  
 Gesneri, Tiguri edita Anno, &c. 74.

Nicodemus Frischlinus Balingensis, poëticae Tu-  
 bingae a 570. Professor, stipendium Tubingense, item  
 gymnasiae monasticae Ducis VVirtembergici carmi-  
 ne descripsit, Tubingae a 569. in 4. Idem & carmina  
 alia multa (ut epithalamia, gratulationes, epicedia &  
 alia) grauius & eleganter scripsit. Scribit autē quo-  
 que bonum graecum Carmen.

IN



**DE REBECCA  
ET SUSANNA N. FRISCH-  
lini, Iohannes Lauterbachius, Poëta  
Nobilis & Coronatus.**

**C**um Frischline mihi Comoedia lecta Rebecca,  
Cum Susanna, mouens tincta lepore iocos.  
Desunt Verba, quibus, Frischline diserte Poëta,  
Læticia dicam gaudia vera meæ.  
Gratus erat puri sermone Terentius oris,  
Oblepidos Plautus gratus & ipse iocos.  
Dramata sed postquam tua mi Frischline relegi,  
Quæ mihi docta tua tuo nomine Mnfa dedit.  
Sorduit en puri sermone Terentius oris:  
Sorduit in lepidis Plautus & ipse iocis.  
Purus es ore, iocis lepidus, pietate Verendus,  
Qua caruere duo dramata, solus habes.

**GENE**



## GENETHLIACVM:

FILIO LÆ CLARISS. ET  
 doctis. V. D. Nicodemi Frischlini,  
 liberalium artium & Philosophiæ  
 Magistri & poëtæ celeberrimi, in-  
 clytæ Academiæ Tubingensis Pro-  
 fessoris publici, amici & Præ-  
 ceptoris sui obser-  
 uandi.

**T**Empus erat, quando dextra vindemitor ala  
 Virginis, à celfo spargeret axe iubar.  
 Nonaq; post actas decurrerat hora Calendas  
 Septembres: multis concelebranda modis.  
 Cum Lucina scholam (iuuenes nam forte docebat  
 Frischlinus scriptum tum Ciceronis) adit:  
 Atque fores leni pulsans cum murmure Vatem  
 Euocat, atque illi talia verba refert.  
 Docte vir & toto Vates celeberrime mundo,  
 Accipe quæ verbis nuncia leta fero.  
 Cara tibi teneram coniux enixa puellam:  
 Auspice leta Deo, iam noua mater ouat.  
 Mater ouat, natamq; suis complexa lacertis:  
 Nunc fouet in dulci viscera cara sinu.  
 Ergo domum propera, cernas vt gaudia ceram:  
 Et figas soboli basia multa noue.

H V

Sume



Sume hilares vultus, animo procul abiice curas  
 Nam tibi letitiae plurima causa venit.  
 Sic ait, & tenues iterum dilapsa per auras,  
 Aethere & subijt limina clara domus.  
 Ipse suas properat Vates Frischlinus ad aedes;  
 Et reperit sacrae nuncia Vera Deae.  
 O mihi nunc liceat tristem deponere vultum  
 Letitiae ut consors istius esse queam.  
 Efficerem certe ne tu me docte poeta:  
 Oblitum dicas nominis esse tui.  
 Sed mihi quod nosti dolor ille domesticus obstat,  
 Quem peperit matris mors inopina meae.  
 Quo minus ipse tuae natali tempore natae  
 Carmina de tristi pectore leta canam.  
 Victus amore tu tamen hunc Frischline dolorem  
 Dissimulo: Et frontis nubila pono meae.  
 Nuper me decuit matrem d. si re peremptam:  
 Nunc posito fletu gaudia ferre decet.  
 Ergo tuae soboli felicia tempora partus  
 Gratulor, & matri prospera fata precor.  
 Ipsa tu e applaudit natae indulgentia caeli,  
 Nam micat haec solito clarior axe dies.  
 Omnia nunc rident, nunc omnis ridet Olympus,  
 Nunc vuas grauido palmitis vitis alit.  
 O felix soboles & diuis nata benignis,  
 Tenata innumeras terra recludit opes.

Cunctis



Cuncta secunda tuo nobis spondemus ab ortu  
 Natali arriident sydera sancta tuo.  
 Ipse blanda tibi sanctae dant munera Musae,  
 Et texunt nitida florida ferta manu.  
 Ipse etiam Charites cinxerunt baccare frontem  
 At violas cunis implicuere tuis.  
 Et flores totas passim sparsere per aedes  
 Ut late suavi flagret odore domus.  
 Magnus Apollo etiam tibi mollia basia miscens  
 Fatidico tales fundit ab ore sonos.  
 O fausto numium prognata puellula coelo,  
 Matreque non humili, doctiloquoque patre.  
 Cresce, vale, vine et dulces solare parentes,  
 Attingat Pylios sic tua vita dies.  
 Tu vero genitor sobolis, tuque optima mater  
 Quos dextro castus omine iunxit Hymen.  
 Que loquor attentam memori que reponite mentes  
 Nam sunt a vera non aliena fide.  
 Qualiter in summas se tollit amaracus auras,  
 Confitus aprico fructiferoque solo.  
 Et de se suauem late diffundet odorem,  
 Quo recreat homines, quo recreatque Deos.  
 Filia sic crescens primis se tollet ab annis,  
 Ut forma aequales vincere rite queat.  
 Nec tantum formae reliquis excellat honore,  
 Verum etiam castis moribus atque fide.



Illa equidem refert Helena pulcherrima formam;  
 Sed thalami non sic franget, ut illa, fidem.  
 At velut exemplum Lucretia casta pudoris,  
 Ornabit formam laude pudicitiae.  
 Finierat Phoebus, tunc mater ad aethera vultus  
 Tollit agens grates pectore & ore Deo.  
 Dumq; fouet gremio teneram, sua vota, puellam  
 Cresce mihi, atq; diu viue superstes, ait.  
 Cresce nec immites ledant tua corpora morbi  
 Filia cara, patris gaudia, matris amor.  
 Sed fratres etiam, Fridericulus atq; Iacobus  
 Melliti pueri, conuenienter ouant:  
 Oscula dantq; genis, somnum faciuntq; sorori:  
 Ad cunas cantant dum puerile melos.  
 Tu vero sermone nequis quæ reddere, nutu  
 Perficis: & risu noscis amante patrem.  
 Ille refert: dilecta mihi nunc edita proles,  
 Cresce & sis nostræ gemmula pulchra domus.  
 Te Deus incolumem multos conseruet in annos,  
 Ut fiam seræ posteritatis auus.  
 Ipse ego nunc patris cui non sum fictus amicus,  
 Iungo tui votis, carmine vota meo:  
 O Deus humani generis seruator & auctor  
 Cuius homo vitæ munere munus habet.  
 Christe puer nobis intacta è virgine natus  
 Cum pueris gaudes, qui Deus esse puer:

Et



Et proprijs infantes olim amplexus in Vlnis:  
 Ad te dulcisona voce venire iubes.  
 Huc, ais, huc teneros matres mihi ferte puellios  
 His ego promitto regna beata poli.  
 Hos ego tanquam oculi pupillam seruo regoq;  
 Ne pereant igni, ne pereantue mari.  
 Nocte dieq; meus pueris bonus angelus astat  
 Inuicta paruos qui tueatur ope.  
 Hanc tibi commendo infirma cum matre puellam  
 Hec tua, seu viuat: seu moriatur, erit.  
 Redde precor vires Frischlini Christe marite,  
 Ut possit laudes concelebrare tuas.  
 Fac pater alme diu possit vitalibus Vti  
 Auris: & multa prole replere domum.

Tui obseruantis,  
 Henricus Becker  
 Luneburg, Saxo.

ELEGIA



**ELEGIA FVNEBRIS, IN  
PRÆMATURAM MORTEM REBECCÆ  
filiolæ clarissimæ & doctissimæ viri D. M. Nicodemus  
Frischlini, Poëtæ celeberrimi, & in Academia  
Tubingensi Professoris publici, Domini præceptoris ac amici sui  
colendi.**

**Q**ui tibi nascenti vitales nuper in auras  
Gratabar vitæ limina prima tuæ.  
Nunc ubi sublata ad cœlos graterne, fleam ue,  
Nescio quod subita morte perempta iaces?  
Flere iubet pietas: sed fletibus addere finem,  
Hoc etiam pietas & Deus ipse iubet.  
Perpendenda tamen nostræ inconstantia vitæ  
Est, quoties tumulo, mortua membra damus:  
Nil aliud vitæ est hominum nisi flebile mortis  
Principium, rapida quæ rapit omne manus  
Mors rapit infantes, pueros iuuenesq; senesq;  
Nec ratio sexus, nec status ipse iuuat.  
Certa venit, sed non certis mors omnibus horis,  
Quo minimè credis tempore, tristis adest.  
Hæc est nobilitas: nostra hæc est gloria vitæ:  
Nos fastus, miseros iste superbus agit.  
Ecce hodie primum lumen vitale subimus,  
Cras iterum miseræ mortis adimus iter.

Exemplâ



Exempli potes esse loco, dum morte perempta  
 Filia Frischlini, parua Rebecca, cadis.  
 Sol ingressus erat quo tempore virginis astrum  
 Infans in sacris nomina sumis aquis.  
 Ast ubi iam Phœbus Capricorni signa petebat,  
 Mox animam reddis, venerat vnde, Deo.  
 Ergo functa cadis mortalis munere vite.  
 Quando te Phœbo Cynthia iuncta fuit.  
 Sed, atis est me iam te defleuisse sepultam.  
 Et soluisse vmbri debita iusta tuis.  
 Nunc tibi cœlestes reliquum est ut grater honores  
 Quos in conspectu percipis ipsa Dei.  
 Te deus ad cœlos pertraxit ab vberibus matris  
 Iunxit et angelico, virgo beata choro.  
 Te deus ardenti complexus amore futuris,  
 Ad sese voluit surripuisse malis.  
 Eripuit verò, ne tanta pericla videres  
 Humanum cruciant, que sine fine genus.  
 Nunc igitur potius tibi gaudia grator Olympi,  
 Quam fundam lachrymas ad tua busta meas.  
 Tu tamen interea peruerso mortua mundo,  
 Viue Deo, et gratæ dona quietis habe.

Henricus Becker Luneburg:  
 Saxo. Tubingæ, &c.

ALIVD



A L I V D;

M. Leonhardi Engelhardi, Scholæ  
Stutgardianæ Rectoris.

**C**orporis occumbit quod si tua cara Rebecca,  
Semine mortali quæ generata fuit.  
Attamen in cœlo viuet, ceu viuit in orbe  
Altera, progenit quam patris ingenium.

MANIBVS TENELLIS  
Rebecca Frischlinæ.

**T**ener floscule virginum, Rebecca,  
Sidus nobile virginum futura,  
Ni terris grauium faces malorum,  
Fata te superesse nolissent:  
E terris gelido exiens Decembri  
Florem virginæi inclytum decoris  
Subductum tumulo breui daturo  
Rosas, liliaq; alba, condidisti.  
Florem extinxit hyems nouo exiturum  
Vere plenius, interim secunda  
Marcescens hyeme ille flos abunde  
Rosarum dabit atque liliorum.  
Quid dico dabit? Imò & hæc & illas

Aduene



Aduena tibi & hospiti suprema  
 Lilieta fouent, fouent roseta,  
 Lilieta poli, roseta Olympi,

Christianus Egenolphus P. L.  
 Francofurti. 3. Id. Dec.  
 cemb. Anno 75. F.

EPISTOLAE  
 ALIQVOT CLARISSI-  
 morum ac doctissimorum virorum, ad  
 Nicodemum Frischlinū, diuersis tem-  
 poribus scriptæ: & è magno aceruo  
 pauca selectæ, quæ quo consilio  
 huc additæ sint: aliàs  
 ostendetur.

DOCTISSIMO VIRO D. M.  
 Nicodemo Frischlino, amico suo in-  
 primis colendo. S.

PRO singulari honore & officio, quo  
 & me & filiolum meum afficere  
 I dignatus



dignatus es, mi D. Frischline, ago tibi  
ingentes gratias: daboq̄ operam, vt  
licet in præsentia, nulla alia grati ani-  
mi declaratione testari, quàm mihi  
studium illud tuum gratificandi nobis  
acceptum fuerit, possim, nisi per lite-  
ras: prima tamen quasi occasione intel-  
ligas, non te maiorem apud vllum ali-  
um gratiam inire, aut melius quicquid  
id est officij ( quod ego, si quisquam  
alius, plurimi faciendū censeo ) collo-  
care potuisse. Et quia tantam ergo  
me, tametsi de facie ignotum, beneuo-  
lentiam declarare dignaris, ego me vi-  
cissim tibi totum, ex animo offero ac  
trado, oroq̄ vt in posterum quoq̄ de  
me nihil aliud tibi, quàm omnia animi  
officia, eaq̄ solida ac recta, confiden-  
ter pollicearis: meq̄ in tuorum, sum-  
mis tibi beneficijs deuinctorum, albū  
referre ne dubites. Breui autem cura-  
turum me spero, vt eo etiam, quod tan-  
topere



30  
topere desiderasti haecenus, potiaris: *Epistola*  
h. e. vt libellum istum tuum, quam fie- *D. Pauli*  
ri elegantissimè & emendatissimè à *ad Titum*  
nostris hominibus poterit, typis no- *Græco la*  
stris descriptam, & in lucem editum *tino Cara*  
videas: cui si fortè etiam alia, ab alijs *mine red-*  
eodem animo ad me & filiolum meum *ditæ, An-*  
scripta (quæ me breui etiam acceptus *no Christi*  
rum spero) adiecero, æquo te animo *67. et ap-*  
laturum, minimè dubitabo. Bene vale, *tis 20.*  
& literis ignosce. Scribendum enim  
fuit subito, & inter multas alias oc-  
cupationes, vt neq; relegere, nedum  
denuò describere licuerit. D. Crusio,  
Scheggio, & amicis alijs plurimam  
meo nomine salutem dices.

Basileæ 16. Aprilis

3568.

Ioannes Oporinus, tuus ex  
animo.

I

ij

IN



**INSIGNIERV.  
DITIONE ET PIETATB**  
ornato viro, M. Nicodemo Frischli-  
no, poëmatum & historiarum in Aca-  
demia Tubingensi, publico Pro-  
fessori, amico suo di-  
lecto.

*Salutem & incolumitatem ve-  
ram in Christo Iesu.*

Descri-  
ptio sti-  
pendi Tu-  
bingēsis:  
& Scho-  
larum in  
ducatu  
Vuirtem-  
bergico,  
edita Tu-  
binge an-  
no 69.

**L**iber tuus, doctissime vir, quem  
nuper ad me misisti, fuit mihi mu-  
nus longè iucundissimum. Legi eum  
atq; denuò relegi cum voluptate ma-  
gna. Videris profectò mihi & alijs,  
quos audiui, opus bonum & utile, bo-  
no sanè & prudenti consilio suscepisse,  
qui hoc laboris & oneris tibi sum-  
pseris, vt scholas patriæ nostræ opti-  
mè constitutas, & quas ego inter præ-  
cipua huius Ducatus ornamēta duco,  
tuis



tuis monumentis commendares: & pijsissimi principis nostri, in Christo iam feliciter quiescentis, piam in Ecclesiam & scholas liberalitatem toti mundo conspiciendam ob oculos ponereres, atque verum & legitimum sacrorum honorum usum, in hac Ditione monstrares: hocque modo pios nostros Gubernatores à venenatis Pōtificiorum Sycophantarum morsibus & calumnijs, de alienatis bonis Ecclesiasticis vindicares. Quare hunc tuum libellum suo merito magnifacere, atque tibi publico patriæ nomine gratias agere & referre, omnes pietatis & veri amantes decet. Me verò etiam privato meo nomine multum tibi debere fateor, qui mei tam honorificam mentionem feceris, ac honori meo ac laudibus plus, quam veritas concedit, largitus sis. Non enim eum, aut ijs donis me ornatum fateri oportet, quem & qua-

I iij

lem



53

lem tu prædicas. Vtut verò sit, certè  
vehementer gratum fecisti hac mei  
commemoratione, ac me tibi ita de-  
uinxisti, vt si quando grates dignas  
possem referre, promptum & paratum  
meritò habiturus esses: Atq; in grati  
animi significationem nunc præsens  
hoc munusculum, duos videlicet num-  
mos aureos placidè suscipias à nobis,  
& boni consulas rogo. Benè in Chri-  
sto vale. Data Mulbronnæ, 1. Au-  
gusti, Anno, &c. 69.

*Ioannes Mageirus Abbas  
Mulbronnensis.*

CLA



CLARISSIMO VIRO M.  
 Nicodemo Frischlino, Musarum An-  
 tistiti in inclyta Academia  
 Tubingensi, amico suo.

S. D.

Doctissime vir. Meministi in Solo-  
 nis historia, Anacharsin opinor,  
 adducentem amicum ad Solonem, his  
 verbis eum compellare. Δῶρον μέγιστον.  
 ἔκω ἄγων, ἀνδραξέμου φιλίας δέομενον. Cum  
 itaq; prior me tuis literis ad amicitiae  
 foedus sincerissimum, inter nos mutuò  
 sancendum, inuitaris: verè ita iudico,  
 Maximum donum Dei beneficio ac  
 munere mecum esse communicatum.  
 Praesertim cum Deo & Musis carissis  
 mus Vates ὑμῶν ἀθανάτων, ὑμῶν ἀγαθῶν  
 κλέος ἀνδρῶν amicus contingat.

Ἦσιν γὰρ ἀνθρώποισιν ἐπὶ χθονίοισιν ἀοιδοί,  
 Τιμῆς ἔμμοροι εἰσὶ, καὶ αἰδέσθ' ἕνεκ' ἄρα σφείας  
 οἴλας μῶσ' ἐδίδ' αἴφε φίλησε δὲ φῦλον ἀοιδῶν.

I iiij

Gratis.



Descri-  
ptio Scho-  
larum  
Vuirtem-  
bergica-  
rum.

Gratissimum etiam *μνημόσυνον*, non solum ingenij & doctrinae: cuius specimen egregium multo ante in carmine, quo Illustrissimi Principis tui benignitatem tantam erga Musas & totius Ducatus monasteria celebras, perspexeram: sed & benevolentiae & fidei tuae erga me singularis, perpetuò apud me futurum est elegantissimum carmen, quod carissimae coniugis meae pijs manibus consecrasti. Id inter mea *κείμενα* perpetuò seruabo, ac si quo officij genere vicissim tibi ac tuis prodesse poterò, summa voluntate praestabo. Magni etiam beneficii loco accipiam, si de Historijs Ecclesiae & Imperiorum interdum per literas mecum conferre dignaberis.

*Σύντε δὲ ἐρχομένῳ, καὶ τε πρὸ ὅτῳ ἐνόησε.*  
Bene vale. Pridie Margaritæ. 15710

*David Chytraeus.*

CLA



CLARISSIMO VIRO, D.  
 Nicodemo Frischlino, Art. Liber.  
 Magistro, & poëticæ facultatis apud  
 Tubingenses Professori publico,  
 Domino & amico suo caris-  
 simo. S. D.

**H**Odæporicon, in Ioann. Sleiferi  
 gratiam, à te scriptum, Frischline  
 ornatissime, magna cum voluptate le-  
 gi. Est enim elegans inprimis & do-  
 ctum. Quodq; in eodem mentionem  
 mei tam honorificam facis, gratias tibi  
 ago, & habeo maximas, relaturus eti-  
 am sicubi dabitur facultas. Trans-  
 mitto tibi votum meum de ebrietate  
 vitanda, teq; vt de eodem Elegiam vel  
 Epigramma aliquod componas, atq;  
 ad me mittas, oro. Colligo enim eius  
 argumenti multa, quæ, fauente Deo,  
 aliquando vnà edam. Mitto etiam vnà  
 scutatium aureum, ex quo, si placet,  
 annulum tibi fieri curabis, cui parte ex-  
 teriori verba hæc insculpta sint, *Votum*

*Propem-  
 pticon,  
 multorū  
 poëtarum  
 laudes  
 continēs,  
 editum  
 Erphora  
 diæ. Ans  
 no 729*

I V *sanctum*





*sanctum Domino.* Ut annulus iste sit  
 symbolum amicitiae nostrae. Vale vir  
 animo meo charissime, mecum ut facis,  
 ama. Raptim Vuirzburg vlt. Dec  
 cemb. Anno, &c. 72.

*Tui amantissimus,*

*Ioannes Posthius M.*

**CLARISSIMO VIRO D:**  
 Nicodemo Frischlino, Art. Liber.  
 Magistro, &c. amico suo  
 colendo. S. D.

*Elegia  
 continens  
 ebrietatis  
 picturam,  
 edita  
 Franco-  
 furti.*

**E**Legiam tuam, vir clarissime, qua  
 ebrietate viuis coloribus elegan-  
 ter admodum depinxisti, magna com-  
 voluptate legi. Valde mihi arridet in-  
 uentio. Carmen verò ipsum tale est,  
 ut ego mirari satis non queam, te tam  
 breui temporis spacio potuisse illud  
 componere. Si tu talia subito fundis:  
 qualia sunt per otium abs te elaborata?  
 Oro te, mi Frischline, ne hoc studij ge-  
 nus vnquam deseras: ad quod tu non  
 factus, sed natus esse mihi plane vide-  
 ris.



ris. D. Scleiferus noster in patria iam  
hæret: is ante mensẽ carmina illa de  
voto Erphordiæ impressa, mihi trans-  
misit, seque plura eius argumenti secum  
propediẽ allaturum promittit: quæ  
ubi accepero, coniuncta simul vt edan-  
tur omnia, fauente Deo, curabo. Qua-  
re si quid interim in Elegia vel muta-  
sti, vel addidisti, mihi significes oro:  
Et si quid ab alijs est compositum, vna  
transmittas. Vale vir animo meo cha-  
rissime, & D. Crusio, viro clariss. meis  
verbis salutem. Vuirzeburgi 4. Non:  
Maij. Anno, &c. 73.

*Tui amantissimus.*

*Ioannes Posthius M. D.*

INGENII GLORIA, ERVDITIO-  
nis fama, & virtutum splendore ornatissimo viro.  
D. N. Frischlino: Poëseos Professore celeberrimo in  
Academia Tubingensi, domino atq; amico suo  
plurimum obseruando. S.

**V**ENIT ad me, vir clarissime carissis  
meque, Poëtarum vnica, solida  
que gloria. N. N. iuuenis in-  
genue



ingenuæ indolis & industriæ, in Poesi longè foelicissimè collocatæ, qui propter carminum condendorum facultatem, imò facilitatem mihi est ita carus, vt fratris sit loco. Is verò mihi reddidit carmina de nuptiis Regis Galliaë & Elisabethæ, diui Cæsaris Maximilianiani filiaë, à te composita. Subscriptū erat exemplari hoc Distichon.

*Cōdita Christophoro cōdono carmina Carlo:  
Carole candidulo carmina corde cape.*

**Hymæus**  
**Impera-**  
**tori Spiraë**  
**in comitijs**  
**exhibitus.**  
**Anno 70.**

Affirmabat N. tuū esse ἀυτοχαιρόργαρον, id quod ego facilius videbam, & merito credere debui. Quare ita gudebam, accepto hoc munere, me in tanti viri, quamuis ignoti noticiam aliquam venisse: vt doluerim nō addita fuisse hæc verba tam eleganti Disticho: *Dono dedit autor, siue autor, subscripsit: vt potuissem gloriari, tua esse manu scriptum.*



ptum. Est enim à natura id nobis in-  
 ditum, vt eos quoq; quos nunquam vis-  
 demus, propter virtutis nomen, eru-  
 ditionis famam immortalem, non so-  
 lū (vt Orator ait) amemus vnicè, sed  
 eorum etiam familiares esse gestiamus  
 maximè, & ambiam; amicitiam. Neq;  
 verò in tuam laudem nunc expatiabor,  
 ne in os te laudare videar, vt quem nos  
 ex ingenij monumentis iam celebrem  
 esse nouerimus: sed gratitudinis ergò,  
 pro carminibus missis, ac animi mei  
 declarandi gratia, saltem hasce literu-  
 las scribere volui, Claris. D. Frischo-  
 line. Quod si per otium licuerit, aut  
 pro tua humanitate tibi libuerit, pote-  
 ris per hunc Studiosum ad me literas  
 dare: quæ certè mihi erunt gratissi-  
 mæ. Ad utilitatem studiosorum &  
 Musarum gloriam, valetudinem tuam  
 velim cures diligentissimè & me quoq;  
 que



341

que cum N. nostro ames. Vale. Datæ  
saptim Oeringæ, Calen. Decemb.


T. H.

Γάρων ἐπ' ἰδύρι

*Carolus Christophorus Bei-  
erus Rector Ludilitera-  
ry Oeringiaci.*

**FINIS.**











194812


(+2070092)



AR  
FR  
C







REBECCA  
COMEDIA  
NOVA ET SACRA, EX  
XXIII. CAPITIBUS GENESEOS, AD  
*Plauti & Terentij imitationem scripta: & ad  
nuptias ILLUSTRISS. Principis ac Domini,  
Domini LUDOVICI, Ducis Württembergici ac Teccij: Comitis Montis  
Peligardi, &c. adornata*

A  
NICODEMO FRISCHLINO, ACADEMIAE  
Tubingensis Professore publico, &c.  
*Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.*



TUBINGÆ,  
*Excudebat Alexander Hockius, Anno Domini*  
M. D. LXXXIII.

